MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80180-6

AUTHOR:

STAEKER, OTTO

TITLE:

DE LITIS INSTRUMENTIS

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

1884

Master Negative #

91-80180-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Staeker, Otto, 1863-

De litis instrumentis quae exstant in Demosthenis quae feruntur posteriore Adversus Stephanum et Adversus Neaeram orationibus, dissertatio ... quam ... scripsit Otto Staeker ... Halis Saxonum 1884.

57 p. 21½ cm.

Thesis, Halle

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/13/91 INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
LITIS INSTRUMENTIS

QUAE EXSTANT
IN DEMOSTHENIS QUAE FERUNTUR POSTERIORE
ADVERSUS STEPHANUM ET ADVERSUS NEAERAM
ORATIONIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

OTTO STAEKER
QUEDLINBURGENSIS.

HALIS SAXONUM
MDCCCLXXXIV.

Athenis orationes, quae in judiciis habebantur, non semper ab eis qui litigabant ipsis, sed saepissime ab aliis hominibus et artis oratoriae et legum Atticarum peritis, qui vocabantur *λογογράφοι*, compositas esse inter omnes constat. Qui *λογογράφοι*, cum ab aliquo jussi orationem conficere, de causa certiores facti essent atque omnia quae afferri poterant litis instrumenta accepissent, in oratione conscribenda plane suo arbitrio agebant, ita ut testimonia et legum formulas quibus volebant locis insererent. Ut autem loci, quibus illa litis instrumenta a scriba legenda erant, significarentur, quid simplicius erat quam ipsis verbis totas legum et testimoniorum formulas suo quamque loco orationi inserere easdemque in plagulam collatas scribae mandare? Eodem modo oratores ipsos vel eorum discipulos tum quoque egisse verisimile est, cum suas vel magistrorum orationes in publicum edebant.[1]

Sed haec instrumenta, quae aequalibus quidem multum valebant, cum brevi rhetoribus supervacanea esse viderentur, pleraque ex libris exciderunt, qua in re casu factum est, ut in alia oratione omnes formulae tollerentur, in alia nonnullae modo, in alia nulla omnino. Atque Demosthenicas quidem orationes qui recensuit cujusque ab editione omnes codices nostri repetendi sunt, Atticus voluit omnes formulas ex editione sua amovere, sed in hoc studio non sibi constitit; nam ut orationis in Neaeram formulas in Atticiana

---

[1] Has sententias primus Jo. Gust. Droysenius protulit in diar. stud. antiq. a. 1839 p. 539.

editione exstitisse aperte docuit Christius,[1] ita multis aliis locis, quos tamen non jam investigare possumus, formulas ex antiquioribus editionibus in novas transiisse existimo. Contra posterioribus temporibus grammaticis et rhetoribus, qui nonnullis orationum nostrarum in exercitationibus scholarum utebantur, ad res illustrandas melius esse videbatur formulas quam plurimas in libris exstare. Quare multis locis, quibus genuinae formulae exciderant, aut de suo finxerunt, verbis oratoris vel fortasse notis scholiastarum usi, aut ubi formulas, maximeque leges atque decreta, apud priores scriptores, qui eas collegerant, ut apud Craterum,[2] cujus liber *συναγωγὴ ψηφισμάτων* saepius ab Harpocratione atque Stephano Byzantino nominatur, servatas reperiebant, inde in orationes transtulerunt.

Inter formulas igitur nunc in codicibus manuscriptis exstantes tria discernenda sunt genera, unum quidem formularum, quae genuinae et jam ab oratore ipso additae sunt, alterum earum, quae ex tabulario publico translatae genuinae quidem sunt, sed ex parte ab eis locis, quibus insertae sunt, alienae, tertium earum, quae posteriore demum tempore fictae sunt. Quorum generum cujus quaeque formula sit, dijudicare non possumus, nisi argumentum et sermonem accuratissime examinamus, neque si de unius alicujus fide dubium sit, de altera inde quidquam colligere licet.[3]

Inter eas orationes, in quibus litis instrumenta inserta exstant, reperiuntur orationes adversus Neaeram et adversus Stephanum posterior, quarum tamen formulas omnes in plerisque editionibus uncis inclusas esse video. Quae res

[1] cf. Christii commentat. de Atticiana Demosthenis editione, quae exstat in actis acad. Bavar. a. 1882 cl. I. vol. 16.

[2] Alios ejusmodi libros enumerat Schulinus, comparatio testamenti graeci et romani. Basileae 1882 p. 4.

[3] De tota hujus quaestionis historia uberius disseruit Kirchnerus in praefatione dissertationis suae: de litis instrumentis, quae exstant in Demosthenis quae fertur in Lacritum et priore adversus Stephanum orationibus. Halis Saxonum 1883.

mihi eo magis mira videtur, quod omnino non aperte demonstratum est has formulas esse suppositas. Westermannus quidem in commentatione illa,[1] qua quaecumque apud oratores atticos exstant litis instrumenta, ad unum omnia subditicia probare studebat, in harum quoque orationum formulas invectus est; sed cum sententiae, quas vir doctissimus de formulis aliarum orationum protulit, ab aliis[2] repulsae sint, caveamus ne temere in verba magistri juremus. De legibus autem insertis jam a multis viris doctis disputatum, sed inter eos magnam esse dissensionem video. Quae cum ita essent, mihi operae pretium visum est de harum orationum formulis denuo quaestionem instituere.

Sed priusquam ad rem ipsam accedamus, id commemorare velim inter omnes viros doctos[3] constare illas duas orationes, quae vulgo sub Demosthenis nomine feruntur, nequaquam ab hoc summo oratore scriptas esse. Sed ex hac re una concludere non licet formulas quoque, quae orationibus insertae sunt, suppositas esse, immo id ita demum statuendum esset, si demonstrari posset orationes omnino non habitas in judicio, sed multo post a rhetore aliquo exercitationis causa scriptas esse. Cum autem haec sententia a nullo prolata sit, sed omnes viri docti putent orationes si non a Demosthene, tamen ab alio oratore aequali scriptas esse et ad veras causas pertinere, quaestione de origine orationum neglecta nunc ad formulas ipsas examinandas aggrediamur

[1] Exstat in actis soc. Lips. vol. I. p. 1 sq.

[2] cf. Wachholtzii dissert. de litis instrumentis in Dem. quae fertur oratione in Macartatum Kiliae 1878. et Kirchneri dissertationem.

[3] cf. Blass, de orat. att. vol. III. part. 1 p. 475 et 480; et Schaefer, de Demosth. ejusque aequalibus vol. III. part. 2 p. 177 sq.

PARS PRIOR.

De litis instrumentis Demosthenis quae fertur posteriori adversus Stephanum orationi insertis.

Quaecumque formulae huic orationi insertae sunt, codice Parisino Σ, praestantissimo illo orationum Demosthenicarum libro, non exhibentur,[1] sed in ceteris modo codicibus, quibus vulgo a viris doctis minor auctoritas tribuitur, nobis traditae sunt. Sed in hac quidem de fide litis instrumentorum quaestione auctoritatem codicum non ita multum valere, rectissime jam demonstravit Kirchnerus,[2] cum et formulae, quas fictas esse jam probatum est, in optimis libris exstarent et quas genuinas esse jam ostenderunt viri docti, deessent. Quomodo autem id fieri posset, Christius optime exposuit. Cum enim Atticus formulas quam maxime ab editione sua amovere studeret, in Alexandrinorum libris servatae sunt, nisi casu nonnullae perierunt. Postea autem, cum aptum videretur formulas verbis oratoris additas esse, in multos alios codices litis instrumenta ex Alexandrinorum libris translata sunt; contra in archetypum Parisini haec instrumenta non recepta sunt, sed saepius commenta falsariorum invaserunt. Quare codicum auctoritate plane neglecta, potius formulas ipsas examinemus, utrum genuinae sint necne.

Tres primae legum formulae, quae sunt de testificando, a Dindorfio uncis inclusae sunt; sed neque intellego, quam

[1] cf. Dindorfii ed. Oxon. tom. III.
[2] cf. l. l. p. 5.

ob rem hoc fecerit vir doctissimus neque video antea jam quemquam de fide harum formularum dubitasse. Quarum prima, quae invenitur in § 9,[1] haec est:

> *Ἀκοὴν εἶναι μαρτυρεῖν τεθνεῶτος, ἐκμαρτυρίαν δὲ ὑπερορίου καὶ ἀδυνάτου.*

Hac lege statutum erat, ut testari liceret alium virum, qui tamen jam antea mortuus esset, certissimam alicujus rei scientiam habuisse, id quod in sermone attico significatur verbis *ἀκοὴν μαρτυρεῖν τεθνεῶτος*; si autem quis testimonium ad causam pertinens dicere poterat, sed itinere vel morbo prohibitus erat, ne in judicium veniret, tum per hanc legem licuit illi testimonium litteris mandare aliis viris praesentibus, qui quidem testimonium ab illo ipso datum esse in judicio testabantur; quod genus testandi significatur verbis *ἐκμαρτυρίαν μαρτυρεῖν*.

Illius autem formulae, quam supra laudavimus, cum neque de scriptura quidquam afferri neque in sermone offendi possit, statim transeamus ad examinandum argumentum ipsum, quod mihi quidem videtur aptissimum esse. Respondet enim plane verbis oratoris, qui demonstrare studet Stephanum contra leges testimonium dedisse, cum neque vidisset neque scivisset, sed audivisset modo a Phormione Pasionem testamentum fecisse. Illa autem lex et rerum naturae plane accomodata est et re vera Athenis valebat, id quod inde apparet, quod alii quoque oratores ejus mentionem faciunt.[2] Sed fortasse eo offendaris, quod lege non statuitur, ut homines mortui vel absentes veram rei notitiam habeant; attamen jam Schoemannus[3] hanc difficultatem expedivit, cum diceret judicium veritatis testimonii penes judices fuisse et alteri parti licuisse testimonium in dubium vocare, ita ut in hac lege tali praecepto opus non esset.

[1] Secutus sum numeros Dindorfii editionis Oxoniensis.
[2] cf. orat. 57 § 6. 7.
[3] cf. Meier et Schoemann, de lit. attic. p. 670.

Non minus mihi videtur genuina esse lex, quae altero loco exstat, ineunte § 12:

> *Τοῖν ἀντιδίκοιν ἐπάναγκες εἶναι ἀποκρίνασθαι ἀλλήλοις τὸ ἐρωτώμενον, μαρτυρεῖν δὲ μή.*

Quod ad verborum constructionem attinet, verba *μαρτυρεῖν δὲ μή* non per se sola stare possunt, sed conjungenda sunt cum verbis *τοῖν ἀντιδίκοιν ἐπάναγκες εἶναι τὸ ἐρωτώμενον ἀλλήλοις*, ita ut non, quod Heffterus[1] atque Darestius[2] voluerunt, interdicatur, ne quis pro se ipso testetur, sed quod Schoemannus[3] intellexit, exponatur, quibus adversarii provocationibus is qui litigat satisfacere debeat.

Hoc autem praeceptum aptissimum est judiciis Atticis[4] optimeque quadrat ad alteram legem, qua statuebatur, ne quis ab adversario provocatus servos torquendos tradere deberet.[5]

Sed hacne lege re vera demonstrat Apollodorus, quod demonstrare voluit, Phormionem contra leges fecisse, cum pro se ipso testaretur? Apparet hanc legem ad id demonstrandum minime esse aptam; sed caveamus, ne ex hac re statim concludamus formulam non esse genuinam, sed posterioribus demum temporibus suppositam, immo attendamus ad ea, quae Blassius[6] de hoc loco disseruit. Demonstravit enim vir doctissimus Apollodorum, qui saepius in hac oratione leges ex sua utilitate detorqueret, hoc loco judicibus imponere conari, cum id quod jam per se vetitum erat, neminem pro se ipso testari, probare studeret lege,

---

[1] cf. Heffter. de ordine judiciorum attic. p. 304.

[2] Reddit enim vir doctissimus in versione sua Demosthenis orationum privatarum vol. II. p. 300. verba legis Francogallice hoc modo: Les deux parties seront tenues de répondre aux questions, qu'elles s'adresseront l'une à l'autre, mais elles ne seront pas entendues comme témoins.

[3] cf. l. l. p. 671.

[4] cf. Lys. orat. 13 § 32; orat. 12 § 25; Isaei orat. 11 § 5.

[5] cf. Meier et Schoemann, l. l. p. 681.

[6] cf. l. l. p. 474.

qua civibus permissum erat testimonium ab adversario postulatum aut dare aut recusare. Caveamus autem, ne nobis quoque Apollodorus imponat, ita ut legem plane dilucidam et genuinam falso interpretemur atque etiam ineptam et subditiciam dicamus.

Paucis jam oratoris verbis insertis sequitur tertia de testando legis formula:

> *Ἔστω δὲ καὶ ὑπόδικος τῶν ψευδομαρτυριῶν ὁ μαρτυρήσας αὐτοῦ τούτου, ὅτι μαρτυρεῖ παρὰ τὸν νόμον· καὶ ὁ προβαλόμενος[1] κατὰ ταὐτά.*

His verbis nobis pars legis servata est, qua statutum erat, qui viri crimini falsi testimonii obnoxii essent. Partem modo legis, non integram legem hanc esse apparet ex verbis *δὲ καί*. Puto autem formulam, qua statuitur, ut crimini falsi testimonii ille quoque obnoxius sit, qui, cum per leges non liceret testari, tamen testimonium dederat, antecessisse alteram partem, qua statuebatur, ut illi falsi testimonii accusarentur, qui quod omnino non evenerat, testati erant. Hanc autem legem re vera Athenis fuisse inde apparet, quod aliis quoque locis ejus mentio fit.[2] Sed totam legem laudare hoc loco oratori opus non erat, cum id modo demonstrare vellet se suo jure Stephanum, qui contra leges testatus esset, falsi testimonii accusasse.

Cum autem in quaestione nostra nulla exstiterit causa, cur fidem trium harum formularum in dubium vocemus, puto eas genuinas esse posse neque recte fecisse viros doctos, qui uncis incluserunt.[3]

His autem legibus cum Apollodorus demonstrare studuerit Stephanum contra leges testatum esse, jam posteriore

---

[1] Rectissime Reiskius praesentis formam, quae in codicibus exstat, mutavit in formam aoristi.

[2] cf. Dem. orat. 47 § 1; orat. 49 § 65.

[3] Quam sententiam video Blassium quoque l. l. p. 409 adn. 4. proferre.

orationis parte testamentum, quod ab adversariis prolatum erat, suppositum esse neque omnino Pasioni licuisse testamentum facere, maxime probare conatur compluribus legibus laudatis. Quarum legum prima quidem est lex testamentaria, quae in § 17 sic legitur:

Ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο, ὥστε μήτε ἀπειπεῖν μήτ᾽ ἐπιδικάσασθαι, ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχήν, τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι, ὅπως ἂν ἐθέλῃ, ἂν μὴ παῖδες ὦσι γνήσιοι ἄρρενες, ἂν μὴ μανιῶν ἢ γήρως ἢ φαρμάκων ἢ νόσου ἕνεκεν, ἢ γυναικὶ πειθόμενος, ὑπὸ τούτων του παρανόμων ἢ ὑπ᾽ ἀνάγκης ἢ ὑπὸ δεσμοῦ καταληφθείς.

Haec est lectio optimorum codicum, quibus haec litis instrumenta tradita sunt. At haec verba legis non genuina esse inter omnes constat, atque etiam v. d. Esius [1] hanc formulam interpretari idem ducit atque Aethiopem lavare. Sed priusquam viro doctissimo concedamus hunc locum iis adscribendum esse, quos insanabile vulnus afflixerit, quaeramus an sententia apta ex verbis expediri possit; atque prius quidem videamus, quo modo verba scribenda et intellegenda sint, deinde num haec lex pro ea habenda sit, quam Apollodorus scribam legere jussit.

Summa inter viros doctos dissensio est, et qui homines verbis ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο significentur, cives facti an filii adoptati, et ad utrum verbum, ad ἐπεποίηντο an ad διαθέσθαι, pertineant verba ὥστε μήτ᾽ ἀπειπεῖν μήτ᾽ ἐπιδικάσασθαι. Quod autem ad priorem quaestionem attinet, Demosthenem ceterosque oratores vocem ποιεῖν de filii adoptatione quidem, verbis υἱὸν vel παῖδα appositis vel neglectis, usurpasse Schoemannus [2] demonstravit, sed locum, quo voce ποιεῖν, verbis πολίτην aut Ἀθηναῖον non appositis, donatio civitatis significaretur, reperire non potui. Neque si posteriorem rem controversam accuratius perpendo, mihi propter verborum compositionem per se ita verisimile est verba τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι et ὥστε μήτ᾽ ἀπειπεῖν μήτ᾽ ἐπι-

[1] cf. van den Es, de jure familiarum apud Athenienses p. 83.
[2] cf. Schoemanni in Isaeum comment. p. 200.

δικάσασθαι inter se conjungenda esse. Sed fortasse opponat quispiam in lege, quae a Solone originem ducat, et illam inusitatam verbi ποιεῖν significationem et hanc posterioribus temporibus insolitam constructionem perferri posse; quare his causis neglectis nunc in totum legis argumentum inquiramus.

Verba autem tradita ita intellegere,[1] ut vertamus: „quibus jus civitatis non ita datum est, ut nec abrogari nec in controversiam vocari queat", complura [2] nos vetant. Neque enim ullo alio loco docemur apud Athenienses tali modo civitatem donari potuisse; deinde vox ἐπιδικάζεσθαι non habet significationem in controversiam vocandi, sed sibi vindicandi, denique intellegi non potest, cur Solon, cum hoc instituto testamenti faciendi id modo efficere vellet, ut hereditas in familia maneret, id quod ingenuis civibus permisit, adscriptis, qui in hac re illorum pares judicandi sunt, non permiserit.

Neque vero hoc modo explicare [3] licet: „quicumque non sunt cives adscripti, iis liceto sua libero arbitrio legare, ita ut nec impedita sint nec in judicio de eis agatur": nam primum quidem credibile non est legis auctorem, si hanc sententiam proferre voluisset, tam obscuram verborum positionem et constructionem usurpaturum fuisse; tum Soloni non licuit, cum hanc legem scripsit, voci ἐπιδικάζεσθαι vim succedendi modo ab intestato — qua una significatione hoc loco intellegi debet — subicere, sed ratio habenda erat eorum quoque temporum, quibus ἐπιδικασίαι et ex testamento et ab intestato erant; denique argumentum totum repugnat legi, cujus paullo post, in § 29, orator mentionem facit quaque statuitur, ut ἐπιδικασία tum quoque fiat, cum heres ex testamento exstet, et

[1] Hoc modo intellexerunt Hier. Wolfius in edit. sua a. 1572 et Petitus, Leg. Att. p. 478.
[2] Duas causas jam attulit Bunsenius, de jure hereditario Athen. a. 1813 p. 55 adn. 12.
[3] Hoc modo explicuerunt Voemelius in ed. Oxon. et Platnerus, de litibus et actionibus Athen. a. 1828 vol. 2 p. 321.

cuivis testamentum ut suppositum vel irritum in controversiam vocare liceat.[1]

Quare ne eorum quidem virorum sententia vera esse potest, qui verba ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο putant dici de filiis adoptatis et verba ὥστε ... ἐπιδικάσασθαι pertinere ad διαθέσθαι, aut qui ποιητούς simul et filios adoptatos et cives adscriptos intellegunt.[2]

Atque ne haec quidem interpretatio legis[3] mihi videtur ferri posse: „quicumque adoptati non sunt, quod quidem si sunt, nullum ab hereditate excludere neque ullam hereditatem in judicio appetere possunt, iis liceto testamento sua legare“; nam quamquam verba ὥστε... ἐπιδικάσασθαι ad ἐπεποίηντο recte referuntur, tamen talis interpretatio particulae ὥστε minime probari potest,[4] sed verba non aliter intellegere licet quam sic: „quicumque adoptati non sunt, ita ut neque jus excludendi quos velint hereditate sua neque virginem heredem petendi habeant, iis liceto legare sua libero arbitrio.“ Sed haec verba inter se repugnare luce clarius est.

Hac autem vocis ποιεῖν interpretatione et verborum ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο cum sequentibus ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι conjunctione servata nostris temporibus complures viri docti alius aliter locum explicare studuerunt. Ut exstitit,[5] qui voci ὥστε vim conjunctionis ἐφ' ᾧτε subiceret et hanc sententiam ex verbis expedire voluisse videretur[6]:

[1] De his causis uberius disseruit Schoemannus in censura libri Platneriani, quae exstat in annal. Berol. a. 1828 vol. 2 p. 340 sq.

[2] Hoc modo intellexit Gansius. de historia juris hereditarii vol. 1 p. 385.

[3] Haec est sententia Bunsenii l. l. p. 55 et 57. et Schellingii. de Solonis legibus apud oratores Atticos p. 128.

[4] cf Platnerum in censura libri Bunseniani, quae exstat in annal. Heidelberg. a. 1814 p. 1169 sq.

[5] Darestius l. l p. 301 vertit: Quiconque n'avait pas été adopté avant l'époque où Solon est devenu archonte, à moins qu'il n'eût renoncé à l'adoption ou qu'il n'eût obtenu l'envoi en possession, peut disposer librement de ses biens par testament.

[6] Hoc apparet ex notis, quas vir doctissimus p. 307 adjecit.

„Quicumque non sunt adoptati vel sunt adoptati, sed postea ex familia adoptiva excesserunt neque hereditatem appetierunt, iis liceto libero arbitrio legare.“ Sed haec legis interpretatio minime ferri potest; nam ut hoc loco vox ὥστε vim conjunctionis ἐφ' ᾧτε habeat, id quod mihi non ita verisimile est, num aliud in verbis inesse potest nisi hoc: „Quicumque adoptati non sunt, iis ea condicione ut ab adoptatione non decesserint neque hereditatem appetierint, liceto libero arbitrio legare?“ Quae verba non sibi convenire apparet, ita ut praetermissis aliis causis statim hanc ob rem talis explicatio reicienda sit.

Simplicior, sed non probabilior est haec explicatio verborum: „Quicumque non erant adoptati, ita ut eo tempore, quo Solon magistratum iniit, patris adoptivi hereditatem neque recusare neque appetere possent, iis liceto libero arbitrio de suis constituere.“ Schulinus[1] quidem, qui hanc interpretationem proposuit, aliud praeceptum putavit praecessisse, quo filiis ante Solonem adoptatis propter novam juris hereditarii constitutionem arbitrium datum esset adoptationem aut recusandi aut retinendi. At primum quidem traditam formulam posteriorem legis partem fuisse mihi persuadere non potui; nam si tale praeceptum praecessisset, temporis terminatio, quae inest in verbis ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχήν vix in posteriore parte posita, at duae legis partes particulis μὲν-δὲ conjunctae essent. Cur autem omnino tali praecepto opus erat, quoniam civibus adoptatis semper filio in familia adoptiva relicto in suam familiam redire licuit, neque filii adoptati Solonis legibus hereditariis ullam calamitatem acceperunt? Atque quod tradita verba attinet, nonne sententia ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι, hoc modo explicata, plane inutilis est?

Hae offensiones, propter quas Schulini interpretatio mihi probabilis non videtur, non exstant in illa explicatione,

[1] cf. l. l. p. 13.

quae postrema proposita est. Thalheimius [1] enim verba controversa hoc modo intellexit: „Quicumque non ita adoptati sunt, ut neque ab adoptatione decedere liceat neque in judicio hereditatem patris adoptivi appetere opus sit, iis ex illo tempore, quo Solon magistratum iniit, libero arbitrio legare liceto.“ Per hanc autem legem putat vir doctissimus filiis inter vivos adoptatis, qui quidem ut filii legitimi hereditatem adire debuissent, non licuisse, sed filiis testamento adoptatis licuisse testamentum facere. At hac in explicatione complura me offendunt. Primum quidem non recte dictum est filiis inter vivos adoptatis non licuisse ab adoptatione decedere; nam et hanc rem nullo alio loco probari vir doctissimus ipse concedit,[2] et obstat praeceptum quo statutum erat, ut omnibus adoptatis, si filium in domo adoptiva reliquissent, in suam redire liceret. Ut autem talis adoptatorum distinctio fuerit, tamen utrique parti a Solone jus testandi datum esse existimo; nam si quis inter vivos adoptatus aut liberos omnino non procreavit aut liberi morte abrupti sunt, qua causa legislator commotus sit, ne huic potestatem testandi daret? Ad talem autem distinctionem vir doctissimus omnino ea modo re pervenit, quod vocem ὥστε maxime pressit; at hoc mihi non placet, sed puto verbis ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ' ἐπιδικάσασθαι in universum significari, quid civibus non adoptatis non liceat, contra legislatorem, si inter adoptatos genera distinguere voluisset, verbo ἐπεποίηντο vocem οὕτως vel aliam ejusmodi appositurum fuisse. Quid? quod hoc modo explicata lex testamentaria non est integra, nam nulla voce de eis civibus dicitur, qui omnino non sunt adoptati. Quare cum tot offensiones in hac interpretatione insint, pro vera eam habere non possum

Cum autem in omnibus quas protuli explicationibus jure offendi possit neque jam ulla alia superesse videatur, nescio an verba tradita corrupta sint. Atque jam antea

[1] cf. Thalheim, antiquit. judic. graec. p. 69 adn. 3.
[2] cf. l. l. p. 72 adn. 4.

exstitit, qui mutatione difficultates amovere studeret. Hieronymus enim Wolfius censuit aut vocem μή omnino amovendam esse aut scribendum μήν; sed ne hac quidem mutatione res expedita est. Nam si putemus legislatorem de filiis adoptatis dicere, permulti loci apudoratores atticos nos doceant filiis adoptatis libero arbitrio de suis constituere non licuisse, sin autem intellegamus ποιητούς cives adscriptos, attendamus ad § 29, ubi orator aperte dicit etiam peregrinorum hereditates in controversiam vocandas esse; omnino autem obstat locus orationis in Leocharem,[1] quo leguntur verba ὅσοι μὴ ἐπεποίηντο in lege laudata.

Quid igitur fiet de loco nostro? Mihi quidem videntur difficultates facillima mutatione amoveri posse. Propono enim ut scribatur οἷς ἦν pro ὥστε; argumentum legis jam hoc sit: „Eis, qui non sunt adoptati,[2] quibus (tamen) eo tempore, quo Solon magistratum iniit, nondum licuit quos velint hereditate sua excludere aut virginem heredem petere, (nunc) esto potestas de bonis suis testamenti faciendi.“ Quod duo pronomina relativa ὅσοι et οἷς inter se conjunguntur, nullam habet offensionem in lege, quae a Solone originem ducit Neque offendas in notione exheredandi, quam verbo ἀπειπεῖν Bunsenium et Schellingium secutus hoc loco subjeci; nam eadem vel similis significatio hujus verbi alibi,[3] quoque reperitur. Illa autem conjectura probata parenthesis ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχήν optime conjuncta est cum ceteris verbis. Ante Solonem autem viro Atheniensi non licuisse libero arbitrio de bonis suis statuere, sed proximum quemque heredem successisse et si nullus adesset heres, bona in gentis potestatem venisse, maxime Plutarchus loco quodam vitae Solonis [4] demonstrat.

[1] cf. § 89.
[2] Nullo alio modo verba intellegi posse maxime probavit Schoemannus in censura libri Platneriani p. 342.
[3] cf. Plato legg. 11, 928 D; Eur. Med. 458; Aristot. eth. Nicom. 8, 16; Herod. 1, 59.
[4] cap. 21: Σόλων εὐδοκίμησε κἀν τῷ περὶ διαθηκῶν νόμῳ· πρότερον γὰρ οὐκ ἐξῆν [διαθέσθαι], ἀλλ' ἐν τῷ γένει τοῦ τεθνεῶτος ἔδει τὰ χρήματα

In extrema parte legis luce clarius est verba *τούτων του παρανόμων* esse corrupta, cum res, quae ante commemoratae sunt, minime possint vocari legibus repugnantes. Quare Reiskius[1] mutatione adhibita scripsit *ἢ ὑπὸ τῶν του παρανόμων*; sed mihi quidem neque hujus viri doctissimi interpretatio neque Beelsii,[2] qui illius conjecturam probavit, explicatio placet. Contra mihi videtur praeferenda esse mutatio Wesselingii,[3] qui cum aliis locis,[4] quibus oratores hanc legem laudant, legeretur *παρανοῶν*, hanc vocem nostro quoque loco restituit.

Iam scriptura, quam ab initio fuisse putamus, restituta transeamus ad alteram illam quaestionem, quam nobis proposuimus; quaeritur enim utrum lex eadem sit, quam orator in judicio a scriba legi jusserit, an tota lex vel pars legis supposita sit. Atque jam Reiskius putavit verba *ὥστε μήτ' ἀπειπεῖν μήτ'. ἐπιδικάσασθαι* non in genuina lege fuisse, sed ipsa vocabula *ὥστε* significari consequentiam e lege ductam et postea demum additam. At supra demonstrare studuimus vocem *ὥστε* minime ferri posse, et conjecimus scribendum esse *ὡς ἦν*, sed etiam hac mutatione probata tamen quaeri possit, verbane postea demum inserta sint, praesertim cum in oratione adversus Leocharem, in qua hujus legis mentio fit, verba non exstent.

A quo autem putemus verba addita esse? Oratoribus ipsis, cum legem laudari juberent, sane licuit ea praecepta, quae ad rem non pertinebant, omittere, sed non licuit quidquam aut mutare aut interponere.[5] Sed ut hoc facere licuerit, quae erat causa, cur orator hanc minime necessariam

καὶ τὸν οἶκον καταμένειν. Quod autem Schoemannus de hoc loco et contra sententiam supra prolatam attulit in annal. Berol. 1828 vol. 2 p. 342 sq., hoc mihi non persuasit.

[1] cf. ed. Reiskii a. 1770.

[2] cf. Beels, diatribe in Demosth. orationes in Stephanum a. 1825 p. 60.

[3] cf. Wesseling, ad Petiti Leg. att. p. 580 adn. 2.

[4] cf. Isaei orat. 6 § 9, orat. 4 § 15. 16 (sequor numeros editionis Schoemanni 1831).

[5] cf. Bunsen, l. l. p. 56 adn. 12.

sententiam adderet? Neque verisimilius est posterioribus demum temporibus haec verba interposita esse; nam si haec verba a genuina lege afuissent, verba *ὅτε Σόλων εἰσῄει τὴν ἀρχήν* nullo modo cum ceteris cohaesissent. Neque mihi obicias loco illo orationis adversus Leocharem hanc sententiam non exstare, nam ibi Demosthenes omnino non totam legem laudare vult, sed alias quoque partes omittit. Sed ne haec quidem mihi videatur justa offensio, si forte dicas verisimile non esse in lege talem temporis terminationem exstare; nam sane hoc nostrum est judicium, sed antiquis illis temporibus talem notionem ineptam non fuisse apparet ex decreto a Plutarcho[1] servato, quod quin a Solone originem ducat, non est dubium.

Iam vero alii, in quorum numero est v. d. Esius,[2] totam legem fictam esse censent. Cujus rei testimonium viri docti saepius afferunt, quod verba, quibus orator legem laudat, eadem sunt ac verba legis. Sed hac ex re mihi videtur nihil concludere licere, nam plane consentaneum est oratores, cum de lege dicant, maxime ipsa verba, quae in legibus insunt, in suas orationes transferre. Offendebatur autem v. d. Esius verbis *τὰ ἑαυτοῦ διαθέσθαι εἶναι ὅπως ἂν ἐθέλῃ*, quae minus convenirent graeci sermonis legibus; eum autem, qui talia conflavisset, ex oratione ipsa meliora dicere potuisse, cum mox sequeretur *τούτοις ὁ νόμος δίδωσι διαθέσθαι τὰ ἑαυτῶν.* Sane falsarius meliora dicere potuit, sed ea ipsa de causa, quod similia verba in lege non insunt, sed alia dictio usurpata est, mihi videtur apparere legem non fictam, sed genuinam esse. Neque enim formulam propter unam causam, quod aliquot verba usitatis rationibus grammaticis repugnant, falsario tribuere licet, immo puto plurimis hujus generis locis prius quaerendum esse, utrum verba, quae offensionem habent, corrupta sint an in iis indicium antiquioris aetatis exstet. Quod autem hujus loci structuram graeci sermonis legibus

[1] cf. Plut. vitae Solonis cap. 19: *Ἀτίμων ὅσοι ἄτιμοι ἦσαν πρὶν ἢ Σόλωνα ἄρξαι, ἐπιτιμίους εἶναι* sq.

[2] cf. l. l. p. 85.

minus convenire contendit vir doctissimus, hoc mihi non persuasit, cum talem numerorum mutationem permultis locis apud optimos scriptores reperiri videam.[1]

Sed haec lex minime integra esse potest, cum nullum exstet praeceptum, quo de filiabus dicatur, aliis autem locis[2] nobis traditum sit talia praecepta in lege infuisse. Puto autem totam legem ita fuisse comparatam, ut illa formula, quam tenemus, priorem partem efficeret et sequentibus demum verbis legislator praeciperet, quid fieri oporteret, si forte filiae essent natae. Sed num putandum est scribam hoc loco totam legem, non modo partem, quae nobis tradita est, legisse? Orator promittit in § 16: *δικαστὰς αὐτῶν τῶν νόμων ἀκούσαντας γνώσεσθαι, ὡς οὐ κύριος ἦν διαθέσθαι*; lege autem recitata pergit: *τοῦ μὲν νόμου τοίνυν ἀκηκόατε, ὃς οὐκ ἐᾷ διαθήκας διαθέσθαι, ἐὰν παῖδες ὦσι γνήσιοι*, et in § 20 adhortatur judices: *σκέψασθε δὲ καὶ διότι* sq. Quibus verbis mihi videtur formula, quae exstat, plane respondere neque censendum est oratorem, cum dicat *αὐτῶν τῶν νόμων*, totam legem recitari jubere.

At num hac lege re vera demonstratur Phormioni non licuisse testamentum facere? In lege vidimus dici de filiis adoptatis; contra Apollodorus probare studet Phormioni non licuisse, quod esset adscripticius! Hoc loco nescio an aptum sit monere dicti Hieron. Wolfii, qui judicavit in his legibus multum esse obscuritatis cum propter vetustatem et depravationem, tum ob calliditatem oratorum, qui eas et mutilare et suo commodo quovis detorquere solerent. Hujus autem loci difficultatem primus sustulit Meierus,[3] cum demonstraret hanc legem, quam legislator de filiis adoptatis statuerat, Apollodorum callide ad cives novos,

---

[1] cf. Krueger, grammat. linguae gr. § 58 tit. 4 not. 4, 5.

[2] cf. Isaei orat. 3 § 42 et 68.

[3] cf. Meier, de bonis damnatorum p. 60. Hanc sententiam paene omnes probaverunt, qui post Meierum de his verbis disputaverunt, ut v. d. Es l. l. p. 89; Blass l. l. p. 474; Dareste l. l. p. 307; Caillemer in commentatione de jure testandi, quae inest in annalibus francogallicis „annuaire de l'association pour l'encouragement des études grecques en France“ 1870 p. 26; Thalheim l. l. p. 69 adn. 3.

qui et ipsi *ποιητοί* vocabantur, transtulisse, quod hoc e re sua esset.

Quod artificium cum non perspicerent, plurimi viri docti eo perducti sunt, ut falso censerent legem esse de civibus adscriptis atque etiam formulam traditam, quae potest certe genuina esse — nam firmissimis indiciis auctoritas paucorum modo ex his in orationes insertis litis instrumentis probari potest — suppositam putarent.

Sed hujus legis, qua patri interdictum erat, ne superstitibus filiis genuinis testamentum faceret neve aliis sua legaret, una quidem data erat exceptio: de hac autem re certiores facti sumus formula, quam hujus orationis § 31 insertam videmus. Atque haec sunt verba legis:

> *Ὅτι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διαθῆται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς πρὶν ἐπὶ δίετες ἡβᾶν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι.*

Quae verba plerique viri docti[1] ita intellexerunt, ut conjungerent mediam partem cum ultima atque hoc modo verterent: „quod superstitibus filiis legitimis pater fecerit testamentum, id tum demum ratum esto, si filii ante pubertatem decesserint.“ At si filii legitimi superstites erant, supervacaneum erat atque Isaeo[2] auctore ne licebat quidem testamentum facere, quo filii heredes instituebantur. Vocabulo igitur *ὅτι*, cum filiis legitimis superstitibus alios heredes instituere non licuerit, nullae nisi de legatis, servorum manumissionibus aliisque ejusmodi rebus constitutiones intellegi possunt. Talia autem praecepta minime quadrant ad ea quae sequuntur, nam non dicitur, quid de re familiari ipsa fiat post mortem filiorum. Quare praeferenda est altera constructio,[3] qua media pars formulae conjungitur cum prima et ad verbum *διαθῆται* suppletur *ἔσεσθαι*; ita ut hoc sit argumentum: „Quidquid pater jam

---

[1] cf. Blass l. l. p. 474; van den Es l. l. p. 86; Gans l. l. p. 386.

[2] cf. Isaei orat. 6 § 28.

[3] Eodem modo Thalheim l. l. p. 71 verba intellegit.

vivis filiis genuinis statuit, eo consilio, ut tum fieri oporteret, si filii ante pubertatem mortui essent, id ratum esto."

Hujus autem legis, quod quidem video, nullo alio loco mentio fit, attamen mihi videtur nulla causa exstare, cur suppositam putemus. Nam primum quidem prorsus respondet verbis oratoris; tum autem quid est magis consentaneum quam hoc, patrem, cum exspectandum sit filios non ad eam aetatem perventuros esse, qua sui juris fiunt et ipsi de suis constituere possunt, suo arbitrio statuere, cui postea hereditas obtingat? Altera autem illa ratione, quam supra exposui, Apollodorus quoque legem explicuit, sed non puto legislatorem ita intellegi voluisse.

Sed ut testamentum facere, ita uxorem alii viro despondere Phormioni non licuisse judicibus Apollodorus persuadere studet. Quod ut demonstret, scribam jubet legere *νόμους παρ' ὧν κελεύουσι τὰς ἐγγύας ποιεῖσθαι*; tum sequitur in codicibus haec formula in § 24:

> *Ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρός, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους. ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι.*

Cujus legis quod sit argumentum et quomodo singula verba posterioris partis intellegenda sint, maxima inter viros doctos est dissensio. Reiskius quidem, quem Heffterus[1] secutus est, rettulit verba *ἐὰν δὲ μὴ ᾖ* ad *κύριον*, ita ut haec esset verborum sententia: „si qua mulier est heres bonorum (seu a patre seu a priore marito relictorum), tum habeto eam uxorem is, qui a defuncto sanguine proximus est (*κύριος*): sin autem nullus adsit *κύριος*, a legibus constitutus bonorum heres, tum is esto *κύριος*, cui illa sese permiserit." Sed primum quidem in hac versione vox *κύριος* diversis modis explicatur, qua re tota interpretatio

[1] cf. l. l. p. 74.

non ita confirmatur. Tum jam Schaeferus[1] vidit haec verba propter totam structuram nullo alio modo conjungi posse inter se nisi eo, ut verba *ἐὰν δὲ μὴ ᾖ* pertinerent ad *ἐπίκληρος*. Denique recte opposuit Schellingius[2] illud quod explicatio Reiskiana secum ferret, potuisse in domo aliqua neminem alium exstare nisi unam filiam, minime convenire ceteris institutis Atticis, sed legibus provisum esse, ne unquam deesset heres; quod ne fieret, adoptatio filii permissa[3] et archontibus haec cura delata erat. Quare non putandum est legislatorem de hac re quidquam statuisse. Tum dubium esse potest, quo modo intellegenda sit vox *ἐπιτρέψῃ*. Quod Reiskius vertit „cui sese illa ipsa permiserit," id maxime assentior Schellingio hanc vocem nullo pacto nisi verbo *ἑαυτήν* apposito significare posse. Platnerus[4] autem, in reliquis rebus Reiskium secutus, putat verbum *ἐπιτρέπειν* potius intellegendum esse „confidere"; sed ne haec quidem significatio oratorum atticorum ullo loco confirmari potest. Atque in universum cum Schellingio verisimile non esse arbitror mulieri apud Athenienses jus mariti eligendi tributum esse.

Contra alii viri docti, ut Petitus[5] et Odofr. Muellerus[6] et priore sententia abjecta etiam Platnerus[7] verba *ἐὰν δὲ μή* rettulerunt ad *ἐπίκληρος*, ita ut hoc esset argumentum: „si virgo *ἐπίκληρος* est, nubito proximo agnato, si non est *ἐπίκληρος*, illi nubito, cui proximus agnatus desponderit."

Nunc orta est quaestio, quomodo in numero virginum, quibus proximi agnati non exstent, esse possit ea, quae non sit *ἐπίκληρος*. Hoc ut explicarent, viri docti contenderunt voce *ἐπίκληρος* significari filiam magnae rei familiaris heredem, sed nullo loco haec significatio confirmatur,

[1] cf. apparatum crit. ad hanc orat.
[2] cf. l. l. p. 97.
[3] cf. Isaei de Apoll. her. § 30; de Phil. her. § 5.
[4] cf. Platner, symbola ad historiam juris Attici p. 118.
[5] cf. l. l. p. 534.
[6] cf. indic. litter. Gotting. a. 1821 p. 1178.
[7] cf. de lit. et act. vol. 2 p. 253.

immo complures loci obstant, quibus pauperes quoque puellae proximis agnatis carentes nominantur ἐπίκληροι. Alia ratione K. Fr. Hermannus[1] vocem intellegit, cum contendat filiam, cui neque pater neque frater neque avus adsit, ita tantum non ἐπίκληρον esse posse, si frater filios in aliena tutela reliquerit, qui, etsi bona hereditaria acceperint, κύριοι tamen mulieris esse non possint. Qua in interpretatione subtiliter excogitata, quam Thalheimius[2] quoque probavit, id unum mihi scrupulum movet, quod lex non esset integra, cum legislator non statueret, quid fieri oporteret, si frater mortuus tutorem non constituisset. Attamen Hermannus multum profecit explicatione sua: nam primus demonstravit, hoc loco κύριον esse non maritum, sed tutorem,[3] neque vocem ἐπιτρέπειν habere significationem despondendi, sed committendi, neque subjectum vocis ἐπιτρέψῃ esse posse ἐπίκληρος, sed esse debere κύριος.[4]

His autem viri doctissimi sententiis probatis mihi videtur alia ratione locus optime expediri posse. Legislator quacumque ratione filiabus hereditariis prospexit et quam maxime curavit, ne unquam tutore carerent.[5] Quid autem, si in domo, in qua praeter filiam nemo, qui quidem sui juris sit, nisi frater exstet, frater ipse Athenis in complures menses vel etiam annos alio proficiscatur? nonne tum mulier est proximis agnatis destituta, quamquam non est ἐπίκληρος? Fortasse autem aliae quoque condiciones reperiri possunt, quibus res ita sese habeat Mihi igitur argumentum hujus formulae hoc videtur esse:

[1] cf. juris domestici et familiaris apud Platonem in legibus cum veteris Graeciae inque primis Athenarum institutis comparatio p. 10 adn. 26.

[2] cf. l. l. p. 8 adn. 2.

[3] Tutores ut impuberum, ita feminarum Athenis exstitisse demonstrat Isaei de Dicaeog. her. § 10. Pro ἐπιτρόπου nomine nomen κυρίου poni non est ita singulare, sed alibi quoque reperitur, ut Demosth. or. 43 § 16. cf. Platner, de lit. et act. vol. 2 p. 276.

[4] Franckio, qui (in ephem. Jenensi a. 1844 p. 741) cogitavit fortasse vocem νόμος supplendam esse, assentiri non possum.

[5] cf. v. d. Es l. l. p. 155 sq.

„Ut nullus horum virorum mulieri adsit, id duabus causis effici potest; si illi omnino mortui sint, ita ut mulier sit ἐπίκληρος, tum esto in tutela tutoris,[1] qui aut testamento mortui constitutus aut ab archonte constituendus est; sin autem unus ex illis adhuc superstes sit, ita ut mulier non sit orba, sed qualibet causa tutoris munere fungi prohibeatur, tum quemlibet virum ille constituet, cujus in tutela mulier sit.“

At qualem legis obscuritatem, audio! Sane concedo legem non ita dilucidam esse; sed num legislator, cui maxime opus est paucis verbis quam plurimas condiciones significare atque complecti, aptius haec praecepta enuntiare potuit?

Mihi igitur postrema formulae verba, qualia tradita sunt, videntur optime intellegi posse neque conjectura opus esse. Quas autem protulerunt viri docti conjecturas, iis difficultates potius auctae quam sublatae sunt. Nam quod Bunsenius[2] conjecit ab initio in lege scriptum fuisse ἐὰν μὲν ἐπίκλητός τις ᾖ et legis sententiam hanc esse: „nullo vero horum virorum exstante, si quis erit lege vocatus sive proximus, ei qui ducere illam possit, sin minus, cui tutor sive gente cognatus tradiderit, collocare illam liceat“: id Platnerus in censura libri Bunseniani[3] demonstravit ferri non posse, cum primum quidem vox ἐπίκλητος apud oratores atticos omnino non exstaret neque, nisi aliud quid appositum esset, hanc sententiam habere posset, tum altera harum significationum, aut τὸν κύριον aut ἐὰν μὲν ἐπίκλητός τις ᾖ plane supervacanea esset, vox autem ἐπίτροπος ex eis, quae aut sequerentur aut praecederent, minime suppleri posset.

Alteram conjecturam proposuit Schellingius,[4] quam non magis esse aptam Franckius demonstravit. Cum enim

[1] Hac condicione tutor sane maritus quoque est ἐπικλήρου, quae res videtur significata esse voce ἔχειν.

[2] cf. l. l. p. 48.

[3] cf. l. l. p. 1291.

[4] cf. l. l. p. 98.

scriberet ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃ, quid hac conjectura profecit? Nam quod ipse voluit ad haec verba κύριον cogitatione addi, id jam supra demonstravimus propter totam loci structuram fieri non posse; duarum autem significationum ejusdem rei, ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων et ἐὰν μὲν ἐπικλήρος τις ᾖ, quas quidem ita conjungit, ut alteram ex altera necessario consequi existimet, una quidem plane supervacanea est. Quare his conjecturis neglectis acquiescamus in eis verbis, quae in codicibus nobis tradita sunt et mea quidem sententia prorsus recte se habent.

Sed nunc disputandum est de fide et auctoritate formulae, quam de compluribus causis suppositam putat Franckius. Primum quidem offenditur vir doctissimus ea re, quod verba legis oratoris verbis non conveniant: nam cum orator scribam jusserit eas leges recitare, quibus statutum sit, penes quos esset jus mulieris despondendae, de hac re in legis priore modo parte agi, altera parte praecepta afferri, quae non hoc loco, sed infra demum desiderentur. Sed non animadvertit vir doctissimus verba, quae orator laudata lege facit: οὗτος μὲν τοίνυν ὁ νόμος οὓς ἐποίησε κυρίους εἶναι, ἀκηκόατε. Quae verba cum illis, quibus legem indicat, non convenire apparet; sed in hac re mihi videtur non offendendum esse, cum alibi quoque orator et varias res confundat et res inter se cohaerentes divellat.

Sed etsi demonstravimus duarum de tutela et sponsaliis mulierum legum conjunctionem ab oratore originem ducere neque offensioni esse debere, tamen nondum probavimus genuinam esse formulam traditam. Suo enim jure offendebatur Franckius, quod in formula ex pluribus, quibus potestatem despondendae mulieris fuisse alii oratorum[1] atticorum loci demonstrarent, tres modo illi nominarentur, qui ab oratore exempli causa commemorati essent. Qua ex difficultate nos expedire vix poterimus, nisi lacunam in lege jam antiquissimis temporibus ortam esse proba-

[1] cf. Aesch. or. 1 § 23.

bimus; quod tamen mihi fieri posse videtur. Puto enim totam formulam, quam orator recitari jussit, ita fuisse comparatam, ut post vocem γνησίους duae exstarent sententiae: quarum prior fortasse incipiebat[1] a verbis ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων et docebat, quibus aliis propinquis praeter patrem et fratrem et avum liceret mulierem despondere, posterior exponebat, quid significaret vox ἐπίκληρος.[2] Qua cum lege orator conjunxit illam de tutela, cujus prima parte statuebatur ut filiae essent in tutela patris aut fratris aut avi, altera pars jam exstat inde a verbis ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων. Illae autem sententiae, quae ab initio in media formula exstabant, eo facilius excidere poterant, quod ab iisdem verbis incipiebant, quibus id praeceptum, quod in fine legis scriptum est.

Tertia autem legis de tutela mulierum pars, quae nulla voce interposita verba τοῦτον κύριον εἶναι sequebatur, mihi videtur ea formula esse, quam nunc in orationis § 26 legimus:

> Καὶ ἐὰν ἐξ ἐπικλήρου τις γένηται, καὶ ἅμα ἡβήσῃ ἐπὶ δίετες, κρατεῖν τῶν χρημάτων, τὸν δὲ σῖτον μετρεῖν τῇ μητρί.

Hanc formulam Franckius[3] subditiciam putat esse, quod integrior legis formula, quam legi jusserit orator, in promptu non sit; sed hoc minime recte dixit vir doctissimus, immo id unum mirari possumus, cur orator hanc partem a priore secreverit, neque ullam aliam causam repperi nisi forte inscitiam oratoris. Praetera autem nihil habet vir doctissimus, quod vituperet; nam quod dixit formulam ex oratoris verbis compositam esse, hanc offensionem vanam esse jam supra vidimus. Cum autem prior lex, quod quidem video, nullo alio loco confirmari potuerit,

[1] Hanc fuisse legis formam, confirmatur verbis Isaei in or. 11 § 2.
[2] Hanc sententiam addi potuisse etiam Franckius concedit.
[3] cf. l. l. p. 742.

hanc legem re vera Athenis fuisse compluribus locis, quibus oratores ejus mentionem faciunt,[1] probatur.

Quod argumentum legis attinet, Thalheimio, qui ipse quoque formulam genuinam censet,[2] assentior statui ut vel vivo marito res epicleri filio tradantur, mater autem ipsa in tutela mariti maneat. Alii quidem viri docti, ut de Stegerenus,[3] putaverunt epicleron in tutelam quoque filii vivo marito transire; sed hoc praeceptum re vera Athenis fuisse neque per se verisimile est neque hoc loco ulla voce significatur, cum explicatio oratoris, quae statim sequitur, nobis nullius momenti esse debeat.

Item in numero legum hereditariarum habenda est haec formula, quam orator in § 29 recitari jubet:

> *Κληροῦν δὲ τὸν ἄρχοντα κλήρων καὶ ἐπικλήρων, ὅσοι εἰσὶ μῆνες, πλὴν τοῦ σκιροφοριῶνος· ἀνεπίδικον δὲ κλῆρον μὴ ἔχειν.*

De scriptura hujus legis pauca praemittenda sunt. Libri scripti nobis praebent *κλῆρον* (aut *τὸν κλῆρον*) *καὶ ἐπικλήρων*, quod primus Reiskius recte mutavit in *τῶν κλήρων*, nisi quod articulus propter vocem, quae sequitur, *ἐπικλήρων* omittendus est. Tum libri in extrema parte habebant *ἐπίδικον*, quod Hieron. Wolfius recte mutavit in *ἀνεπίδικον*. Denique voces *τὸν ἄρχοντα* vulgo non exstant, sed ex uno codice Veneto (Q) a viris doctis additae sunt. Quod additamentum cum quaerendum sit, utrum recte positum an vanum grammatici alicujus commentum sit, nunc de toto legis argumento disputemus.

Per se enim, si omittitur accusativus *τὸν ἄρχοντα*, dubium esse potest, quae vox cogitando addenda sit ad verbum *κληροῦν*; ad adversarios verbum pertinere non potest, cum de eorum sortitione dicatur aut *λαγχάνειν* aut

[1] cf. Isaei orat. 8 § 31; orat. 10 § 12.
[2] cf. l. l. p. 10 adn. 2.
[3] cf. van Stegeren, de conditione civili feminarum Atheniensium secundum juris Attici principia. Zwoll. 1839 p. 102.

κληροῦσθαι, ita ut non nisi de magistratu quodam, qui sortitur, cogitari possit. Reiskius putavit ad *κληροῦν* subjectum *θεσμοθέτας* et objectum *δικαστάς* addenda esse; at huic explicationi recte Schoemannus, qui accuratissime de hac lege disputavit,[1] opposuit sortitionum judicum in judiciis, quae sunt de hereditatibus, nullo loco mentionem fieri; tum exspectandum esse archontem, quo adhortante omnino licuit thesmothetis sortiri, commemorari, deinde nullam esse causam, de qua thesmothetae mense Scirophorione non sortirentur. Quarum offensionum ultima, quae quidem plurimum valet, non eo tollitur, quod Hudtwalckerus[2] contendit per mensem Scirophoriona justitium fuisse; nam vir doctissimus id nullo loco probare neque aliis persuadere potuit, immo ultimo mense multa judicia habita esse putandum est, ne causae in sequentem annum differrentur. Quibus de causis Schoemannus rectissime subjectum *ἄρχοντα* et objectum *δίκας* intellexit, ita ut hoc esset legis argumentum: „archon primus, ad quem omnes causae hereditariae (civium) deferendae sunt, partibus tempus destinato, quo causa agatur."

Sed cur hoc per mensem Scirophoriona non fiat, forte quaeras! Res non ita obscura est: si enim archon Scirophorione demum de judiciis eorumque temporibus sortitus esset, saepe[3] necesse fuisset causam differre in sequentem annum, quo tamen ille archon jam magistratu se abdicaverat. Cum autem jam per se consentaneum sit eundem magistratum, a quo anacrisis facta erat, in judicium quoque causam induxisse, id Athenis etiam lege statutum fuisse videtur.

Voces igitur *τὸν ἄρχοντα* hoc loco aptissimae sunt; sed quaeri possit, num jam in genuina lege exstiterint. Cum autem apparuerit maxime dubium esse quae vox supplenda

[1] cf. Meier et Schoemann, l. l. p. 611.
[2] cf. Hudtwalcker, de arbitris publicis et privatis Atticis p. 30.
[3] cf. Meier et Schoemann, l. l. p. 694; non recte judicat Beelsius l. l. p. 71.

esset, per se non verisimile videtur Athenienses legem tam incertam sibi statuisse. Neque ut posterioribus demum temporibus haec verba addita esse demonstret, proferat quis paullo infra de causis hereditariis civium et peregrinorum agi, cum lex de civium[1] modo causis sit; nam in altera legis parte expositum esse potuit idem de peregrinorum hereditatibus valere. Atque ne id quidem concludere est necesse formulam traditam non esse integram, sed scribam alteram quoque partem recitasse; hic enim orator nulla voce significat, id quod alibi saepius facit, se argumentum legis narrare.

Sub finem orationis Apollodorus, ut Stephano, quippe qui insidias fecerit, metum incutiat, scribam hanc legem recitare jubet:

> *Ἐάν τις συνίστηται ἢ συνδεκάζῃ*[2] *τὴν ἡλιαίαν ἢ τῶν δικαστηρίων τι τῶν Ἀθήνησιν ἢ τὴν βουλήν, ἐπὶ δωροδοκίᾳ χρήματα διδοὺς ἢ*[2] *δεχόμενος, ἢ ἑταιρείαν συνιστῇ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου, ἢ συνήγορος ὢν λαμβάνῃ χρήματα ἐπὶ ταῖς δίκαις ταῖς ἰδίαις ἢ δημοσίαις, τούτων εἶναι τὰς γραφὰς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας.*

Qua in lege neque contra sermonem neque contra res ipsas quidquam dictum est. De sermone dubitet fortasse quispiam, quid significent verba *συνίστηται ἢ συνδεκάζῃ*; Heffterus[3] putat, voce *συν*-significari de toto judicio hoc loco agi; sed rectius Voemelius vertit: „si quis adjutor fuerit corrumpendae heliaeae“: nam talis significatio saepius in praepositione *συν-* inest. Cum autem neque aliis locis praeceptorum, quae his contraria sint, mentio fiat neque inter legis formulam et verba oratoris, quae praecedunt,

[1] Nomine cum articulo conjuncto (*τὸν ἄρχοντα*) primus modo archon significatur.

[2] Rectissime jam Hieron. Wolfius *συνδεκάζῃ* et *διδοὺς ἢ* scripsit pro verbis, quae in codicibus exstant, *συνδικάζῃ* et *διδοῦσαν*.

[3] cf. l. l. p. 154.

quidquam intersit, mihi haec formula genuina esse videtur.[1]

Cum leges, quas huc usque protuli, mihi omnes genuinae, sed ex parte corruptae visae sint, nunc disputandum est de testimonio, quod quidem maxime dubito num genuinum sit.

Lege enim quae est de tutela feminarum laudata Apollodorus pergit: *ἀλλὰ μὴν ὅτι ἐγὼ μὲν ἀπεδήμουν τριηραρχῶν, τετελευτήκει δ' ὁ πατὴρ πάλαι, ὅτε οὗτος ἔγημε, τὰς δὲ θεραπαίνας αὐτὸν ἐξῄτουν καὶ ἠξίουν περὶ αὐτοῦ τούτου βασανίζεσθαι αὐτάς, εἰ ταῦτ' ἀληθῆ ἐστι, καὶ ὡς παρεκαλούμην, λαβέ μοι τὴν μαρτυρίαν.* Exspectandum igitur est in testimonio dictum esse et de tempore nuptiarum Phormionis Archippaeque et de provocatione Apollodori. Sequitur autem in codicibus haec formula:

> *Μαρτυροῦσι παρεῖναι, ὅτε προὐκαλεῖτο Ἀπολλόδωρος Φορμίωνα, ὅτε ἠξίου ἀποδοῦναι Ἀπολλόδωρος Φορμίωνα τὰς θεραπαίνας εἰς βάσανον, εἰ μή φησι Φορμίων καὶ πρότερον διεφθαρκέναι τὴν μητέρα τὴν ἐμήν, πρὶν οὗ ἀποφαίνει Φορμίων γῆμαι ἐγγυησάμενος αὐτὴν παρὰ Πασίωνος. ταῦτα δὲ προκαλουμένου Ἀπολλοδώρου οὐκ ἠθέλησε Φορμίων παραδοῦναι τὰς θεραπαίνας.*

Quo in testimonio Westermannus[2] compluribus rebus offenditur neque facere possum, quin hac in re viro doctissimo assentiar. Atque prima quidem offensio est, quod in testimonio ne unum quidem verbum dicitur de tempore nuptiarum, quamquam orator disertis verbis se hujus rei testimonium praebiturum esse promittit. Contra in testimonio insunt, quae ex verbis oratoris minime exspectari possunt, narrationem dico amorum, quos jam vivo Pasione inter Phormionem et Archippam intercessisse Apollodorus

[1] cf. de hac lege etiam Meier, de bonis damnatorum p. 111, et Meier et Schoemann, l. l. p. 351.

[2] cf. acta societ. Lips. a. 1850. vol. I. p. 112.

contendit. Hujus rei ne vestigium quidem in verbis oratoris reperitur, sed rectissime Westermannus ostendit verba *περὶ αὐτοῦ τούτου βασανίζεσθαι* nullo pacto ad aliud quidquam pertinere posse nisi ad verba, quae supra fecit orator de tempore nuptiarum. Fortasse autem mihi opponas hoc quoque loco inscitiam oratoris apparere, qui inepte verbis *αὐτοῦ τούτου* hanc rem, quae testimonio comprobatur, significare voluerit; sed etiamsi hanc sententiam probaremus, tamen non multum proficeremus, cum aliae quoque offensiones sint.

In testimonio enim re vera altera pars eorum, quae orator promiserat, comprobatur, sed quibus verbis comprobatur! Iam Reiskius suo jure offendebatur verborum structura, quae est *ὅτε προὐκαλεῖτο Ἀπολλόδωρος Φορμίωνα ὅτε ἠξίου Ἀπολλόδωρος Φορμίωνα*; quam offensionem ita tollere studebat, ut aut verba *ὅτε ἠξίου* mutaret in *καὶ ἠξίου* aut verba *ὅτε ἠξίου Ἀπολλόδωρος Φορμίωνα ἀποδοῦναι*, ut interposita a falsario aliquo, ex verborum conexu tolleret. Quam conjecturam quamquam Schaeferus [1] rejecit, tamen cum Beelsio [2] ingeniosam neque ita difficilem esse existimo. Sed quid hoc prodest ad defendendam hanc formulam, cum statim in verbis quae sequuntur, alia gravior offensio insit? Quo modo enim explicemus, quod in testimonio exstant verba *τὴν μητέρα τὴν ἐμήν*? Hoc loco non licet putare verba ex interpretatione posterioris grammatici orta esse, sed hac una tantum ratione hanc offensionem reicere poteris, si demonstrabis haec verba esse corrupta; attamen mihi quidem facilis mutatio non est praesto.

Denique quid probari potest testimonio, in quo non commemorantur nomina testium? Huic offensioni si forte opponas, hac ex re concludi non posse testimonium non esse genuinum, quod neque falsario, quem formulam composuisse putem, ita magnum fuerit negotium nomina testium ementiri, et nomina a librario aliquo, cum ad res intelligendas

[1] cf. apparatum criticum ad. h. l.
[2] cf. l. l. p. 121.

nullius esse momenti putarit, omissa esse possint: equidem hoc quoque tibi concedam.

Vidimus igitur offensiones ita comparatas esse, ut una quaeque per se spectata aliquo modo videretur tolli aut certe levari posse, sed omnibus in unum collectis tamen verisimilius esset formulam esse suppositam. Neque mireris, quod in quaestione de formulis hujus orationis instituta unam subditiciam, ceteras genuinas esse statuimus; nam jam initio hujus disputationis diximus de his litis intrumentis singillatim disserendum atque quaestionis naturae plane consentaneum esse, si non unum idemque judicium de omnibus valere appareret.

PARS POSTERIOR.

De litis instrumentis Demosthenis quae fertur adversus Neaeram orationi insertis.

Hujus orationis formulae ab initio verbis oratoris additae sunt atque, id quod jam supra dixi, etiam Atticum has formulas in editionem suam transtulisse codicum notis ad stichometriam pertinentibus usus aperte docuit Christius. Quamvis autem hac re fides formularum confirmetur atque etiam Christius demonstrare studuerit in orationibus privatis non esse verisimile a falsariis eodem modo quo in orationibus publicis interpolationes factas esse, tamen vir doctissimus ipse concedit his rationibus solis fidem formularum non omnibus dubitationibus liberatam esse. Nam facile fieri potuit, ut formulae solae aut conjunctae cum verbis, quibus orator ad scribam se vertit, interciderent; postea autem falsarius, ubi formulae genuinae deerant, sed oratoris ad scribam verba et lemmata exstabant, novas finxit, sed earum formularum, quibuscum oratoris quoque verba interciderant, omne vestigium periit. Quare cum de his aliisque ejusmodi rebus notis stichometriae certiores non fiamus, ne de hujus quidem orationis formulis quidquam certi judicare poterimus, nisi in singularum sermonem atque argumentum accurate inquiremus.

Postquam Theomnestus, Diniae filius, qui Neaerae actionem intenderat, pauca verba fecit, Apollodorus, qui advocatus accusatori praesto erat, loqui orditur et in ipso

orationis suae initio significat, qua lege Theomnestus Neaeram in judicium vocaverit. Lex autem, quae hoc loco oratoris verbis inserta est, hoc modo legitur:

> *Ἐὰν δὲ ξένος ἀστῇ συνοικῇ τέχνῃ ἢ μηχανῇ ᾑτινιοῦν, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας Ἀθηναίων ὁ βουλόμενος, οἷς ἔξεστιν. ἐὰν δὲ ἁλῷ, πεπράσθω καὶ αὐτὸς καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ, καὶ τὸ τρίτον μέρος ἔστω τοῦ ἑλόντος. ἔστω δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά, καὶ ὁ συνοικῶν τῇ ξένῃ τῇ ἁλούσῃ ὀφειλέτω χιλίας δραχμάς.*

De hujus formulae scriptura haec dicenda sunt: In libris scripta videmus verba *ὡσαύτως δὲ καὶ ἐὰν ἡ ξένη τῷ ἀστῷ συνοικῇ κατὰ ταὐτά*; quae verba mutavit Bekkerus in *ἔστω δὲ καὶ.... κατὰ ταὐτά*, Schaeferus contra ita emendavit, ut verba *κατὰ ταὐτά* deleret. Quarum conjecturarum, quamquam utraque offensio tollitur, tamen Bekkeri emendatio ut facilior praeferenda est.

Tum quaerendum est, quid sibi velint verba *τέχνῃ ἢ μηχανῇ*; viri enim docti de hac re inter se dissentiunt. Philippius [1] quidem putat significari his verbis dolos et machinationes legibus repugnantes, quibus peregrini efficere studeant, ut conubium cum cive aliqua factum ratum sit; contra qui ante eum in hanc rem inquisiverunt,[2] intellexerunt simulationes, quas conjuges inter se facerent. Quarum explicationum mihi magis ea, quam posteriore loco commemoravi, placet, neque quod Philippius opposuit brevi originem conjugum palam fieri debuisse neque per multum temporis celari potuisse, id mihi multum valere videtur, cum putem non inter omnes constitisse, utrum singuli homines cives an peregrini essent. At omnino non puto verba tantopere premenda esse, sed hanc formulam in legibus et edictis usitatissimam,[3] latius patere neque aliud quidquam significare nisi „qualibet improba via.“

---

[1] cf. Philippi, symb. ad historiam civitatis atticae p. 73.

[2] cf. Platner, de lit. et act. vol. 2 p. 69; Heffter, l. l. p. 163; v. d. Es, l. l. p. 23.

[3] Exempla vide in Stephani thes. vol. 7 p. 2112.

Lege autem provisum erat, ne peregrinis, si forte errore perducti, non dolo malo conubium inierant, multa irrogaretur. Quae legis verba si cum oratoris verbis comparabis, apparebit non multum interesse, sed pauca tantum in lege exstare, quae orator omisit. Haec autem verba, quae tantummodo in lege exstant, viri docti putaverunt a falsario ficta, cetera autem ex oratione ipsa translata esse. Quae sententia mihi minime probatur; nam si falsarius verba oratoris in legis formam redegisset, nonne exspectandum est quam maxime illum verba oratoris secuturum fuisse?[1] Cur autem, quaero, falsarius neglexit verba *οὐδὲ παιδοποιεῖσθαι*? porro cur mutavit ordinem praeceptorum? Haec maxime causa mihi videtur magni momenti esse; nam consentaneum est oratorem in verbis suis id, quod magis e re sua erat, priore loco ponere, contra non probabile est falsarium ordinem partium legis mutare.

Num autem omnino illa, quae in formula tantum exstant, tam inepta sunt, ut originem ducere non possint nisi ab inscito falsario? Platnerus et Meierus[2] haec praecepta re vera fuisse putant; sed Philippius causis non allatis ea neglegit, Thalheimius[3] de auctoritate formulae dubitare videtur atque v. d. Esius etiam demonstrare studet haec omnino ita se habere non potuisse. Maxime autem vir doctissimus offendebatur, quod peregrinus, qui civem mulierem in matrimonium duxisset, veniret, contra civis, qui mulierem peregrinam dolo malo circumventus duxisset, mille drachmis multaretur. Sed miror virum doctissimum non probare illa, quae Platnerus ad explicandam hanc rem attulit, cum demonstraret peregrinum, qui contra leges uxorem duxisset, ea de causa vehementius puniri, quod neque apud Athenienses in cives eodem modo agebatur quo in peregrinos neque in utroque par culpa erat, quoniam peregrinus civem

[1] Falsarios non ita eruditos homines fuisse neque in scribendo multum curae aut consilii adhibuisse, apparet ex instrumentis orationis de corona, quae supposita esse paene inter omnes constat.

[2] cf. Platner, de lit. et act. vol. 2 p. 70; Meier et Schoemann, l. l. p. 350.

[3] cf. l. l. p. 19 adn. 1.

mulierem in matrimonium ducens sibi ipsi civitatem sumebat, civis peregrinam mulierem ducens non sibi ipsi, sed mulieri illi civitatem parabat.

Praeterea putat v. d. Esius injustum esse civem, qui peregrinam duxerit, multari, civem, quae peregrino nupserit, non puniri. At haec viri doctissimi sententia mihi non penitus vera videtur esse; nam mihi persuadere non possum civem atticam, quae quidem nullam habebat potestatem conjugis quaerendi, sed plane pendebat ab eo, qui erat *κύριος*, quaeque plane insons erat, punitam esse. Fortasse autem obicias verisimile esse poenam aliquam in tutores, qui contra leges eam despondissent, statutam esse. Quam sententiam veram esse plane concedo, at non erat opus tale praeceptum hoc loco laudari neque huic legi adjectum esse, sed in propria lege scriptum erat, atque in ea quidem lege, cujus de altera parte nunc disseremus.

Legimus enim in orationis § 69 hanc formulam:

> *Ἐὰν δέ τις ἐκδιδῷ ξένην γυναῖκα ἀνδρὶ Ἀθηναίῳ ὡς ἑαυτῷ προσήκουσαν, ἄτιμος ἔστω, καὶ ἡ οὐσία αὐτοῦ δημοσία ἔστω, καὶ τοῦ ἑλόντος τὸ τρίτον μέρος. γραφέσθων δὲ πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, οἷς ἔξεστι, καθάπερ τῆς ξενίας.*

Hujus formulae argumentum plane respondet verbis oratoris, qui recitari jubet *νόμον, καθ' ὃν ἐγράψατο ὁ Φράστωρ Στέφανον πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, Ἀθηναῖον ὄντα ξένης θυγατέρα αὐτῷ ἐγγυῆσαι ὡς αὐτῷ προσήκουσαν.* Quod autem ad sermonem legis attinet, v. d. Esius[1] offendebatur voce *τις* atque putabat falsarium, cum orationis verba in legis formam redigeret, inepte verba *Ἀθηναῖος ὤν* neglexisse. At ex hac voce concludere non licet suppositam, sed id tantum, non integram esse formulam. Puto enim hanc formulam esse posteriorem partem legis, priore autem parte, quae fortasse incipiebat a verbis *Ἐὰν μὲν Ἀθηναίων τις ἐκδιδῷ ἀστὴν ξένῳ,*

[1] cf. l. l. p. 23.

constitutum fuisse, quae poena irrogaretur civi contra leges civem mulierem despondenti.[1] Tum offendit vir doctissimus in vocibus *οἷς ἔξεστιν* et contendit scribendum fuisse *τῶν βουλομένων οἷς ἔξεστιν*. At Athenienses in his locutionibus non ita religiosi erant; saepius enim reperitur *ὁ βουλόμενος*, ubi accuratius dicendum erat *ὁ βουλόμενος ᾧ ἔξεστιν*.[2] Quae cum ita sint, mihi videtur nihil esse, quo offendamur; neque enim id offensioni esse potest, quod nullo alio loco haec lex laudatur

Ut autem formula, de qua modo disputavimus, nullo alio loco nisi in hac oratione exstat, ita haec quoque lex non nisi in orationis § 115 reperitur:

> *Ἐπειδὰν δὲ ἕλῃ τὸν μοιχόν, μὴ ἐξέστω τῷ ἑλόντι συνοικεῖν τῇ γυναικί· ἐὰν δὲ συνοικῇ, ἄτιμος ἔστω. μηδὲ τῇ γυναικὶ ἐξέστω εἰσιέναι εἰς τὰ ἱερὰ τὰ δημοτελῆ, ἐφ' ᾗ ἂν μοιχὸς ἁλῷ· ἐὰν δὲ εἰσίῃ, νηποινεὶ πασχέτω ὅτι ἂν πάσχῃ, πλὴν θανάτου.*

Hanc legem non esse integram, cum ex voce *δέ*, tum ex eis apparet, quae Aeschines[3] de lege adulterina affert. Quod autem v. d. Esius[4] formulam in dubium vocat, quod nulla justa causa fuerit, cur orator hanc legem orationi suae insereret, hoc mihi videtur non recte facere; nam inter omnes constat oratores atticos saepissime leges afferre, ut earum notitia glorientur, neque etiamsi hoc loco formula non esset apta, hac ex re jure concludi posset legem esse fictam. Immo cum videam in argumento jure offendi non posse neque verbis oratoris legem repugnare, eam posse quidem genuinam esse persuasum habeo, quamquam nullo alio loco confirmatur.[5]

---

[1] cf. Demosth. orat. 25 § 66.
[2] cf. Meier, de diaetetis p. 7.
[3] cf. Reiske, orat. att. vol. 3 p. 176 sq. et p. 47 et 55.
[4] cf. l. l. p. 37.
[5] Quod Franckius in diar. stud. ant. a. 1844 p. 742 objecit, hoc mihi nihil valere videtur.

Has tres leges in hac oratione a scriba orator recitari jussit; contra permulta testimonia protulit, quorum formulas paene omnes inter oratoris verba insertas reperimus. Quas ad formulas examinandas nunc accedamus atque primum quidem disputemus de testimonio § 30:

> *Φιλόστρατος Διονυσίου Κολωνῆθεν μαρτυρεῖ εἰδέναι Νέαιραν Νικαρέτης οὖσαν, ἧσπερ καὶ Μετάνειρα ἐγένετο, καὶ κατάγεσθαι παρ' αὐτῷ, ὅτε εἰς τὰ μυστήρια ἐπεδήμησαν, ἐν Κορίνθῳ οἰκοῦσαι· καταστῆσαι δὲ αὐτὰς ὡς αὐτὸν Λυσίαν, τὸν Κεφάλου, φίλον ὄντα ἑαυτῷ καὶ ἐπιτήδειον.*

Quo in testimonio hoc primum offendit Westermannum,[1] quod una tantum pars eorum, quae se testimonio probaturum esse promiserat orator, commemoraretur. Cum autem orator haec verba praemiserit: *ὡς οὖν ἀληθῆ λέγω, ὅτι Νικαρέτης ἦν καὶ ἠκολούθει ἐκείνῃ καὶ ἐμισθάρνει τῷ βουλομένῳ ἀναλίσκειν, τούτων ὑμῖν αὐτὸν τὸν Φιλόστρατον μάρτυρα καλῶ*: haec viri doctissimi offensio non nisi ad verba *ἐμισθάρνει τῷ βουλομένῳ ἀναλίσκειν* pertinere potest At hanc rem quomodo potuit Philostratus, qui antea omnino non noverat Neaeram, testari? Nonne autem ex hac una re, quam testatur Philostratus, Neaeram corpus suum Lysiae vendidisse, concludi potest alias quoque Neaeram corpore meruisse?

In ceteris formula cum oratoris verbis convenit, sed praeterea in testimonio exstat nomen patris Philostrati. Aliis quidem locis,[2] quibus Philostrati mentio fit, nomen patris non appositum est; quod autem Boeckhius[3] contendit Dionysium eundem in inscriptione quadam commemorari, Westermannus hanc sententiam non ita commendari litteris inscriptionis nobis servatis, sed etiam refelli temporum rationibus mihi aperte demonstrasse videtur. At quod Westermannus statuit falsarium aliquem nomen Dionysii

---

[1] cf. acta soc. Lips. vol. 1 p. 114 sq.
[2] cf Demosth. or 21 § 84; C. I. A. vol. 2 part. 2 tit. 803.
[3] cf. Boeckh, de titulis navalibus Ath. p. 391.

patris finxisse, hoc mihi vir doctissimus mente praeoccupata judicasse videtur. Nam cum satis constet Athenienses in addendis nominibus patris et pagi neglegentissimos fuisse atque tum simplex nomen posuisse, tum vel unum ex illis nominibus vel utrumque adjecisse,[1] quo jure postulare possumus, ut nomen Dionysii patris alibi quoque exstet?

Neaera ut cum Lysia, ita postea cum Simo Thessalo rem habuit, id quod comprobatur testimonio § 32:

Εὐφίλητος Σίμωνος Αἰξωνεύς, Ἀριστόμαχος Κριτοδήμου Ἀλωπεκῆθεν μαρτυροῦσιν εἰδέναι Σῖμον τὸν Θετταλὸν ἀφικόμενον Ἀθήναζε εἰς τὰ Παναθήναια τὰ μεγάλα, καὶ μετ᾽ αὐτοῦ Νικαρέτην καὶ Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην· καὶ κατάγεσθαι αὐτοὺς παρὰ Κτησίππῳ τῷ Γλαυκωνίδου, καὶ συμπίνειν μετ᾽ αὐτῶν Νέαιραν ὡς ἑταίραν οὖσαν καὶ ἄλλων πολλῶν παρόντων καὶ συμπινόντων παρὰ Κτησίππῳ.

In hoc testimonio Westermannum nihil aliud offendit nisi quod significatio *τῷ Κυδαντίδῃ* verbis *Κτησίππῳ τῷ Γλαυκωνίδου* non apposita sit; sed haec offensio nihil valet, cum Athenienses in nominibus notandis non sibi constare jam antea dictum sit. Contra ex hac ipsa re fortasse argumentum quamvis leve auctoritatis testimonii repeti potest; nam falsarium, si verbis oratoris in formula conficienda usus esset, hanc quoque significationem translaturum fuisse existimaverim. Ceteroquin autem neque forma neque sermo neque argumentum hujus testimonii ullam offensionem praebet, sed etiam nomina testium alibi[2] exstant.

Quare transeamus ad examinandum testimonium, quod in § 36 exstat:

[1] Hoc maxime apparet ex titulis atticis.
[2] cf. C. I. G. vol. 1 p. 307 et 309; Demosth. orat. 23 § 13 et 131; orat. 48 § 45.

Ἵππαρχος Ἀθμονεὺς μαρτυρεῖ Ξενοκλείδην καὶ αὐτὸν μισθώσασθαι Νέαιραν ἐν Κορίνθῳ τὴν νῦν ἀγωνιζομένην, ὡς ἑταίραν οὖσαν τῶν μισθαρνουσῶν, καὶ συμπίνειν ἐν Κορίνθῳ Νέαιραν μεθ᾽ αὐτοῦ καὶ Ξενοκλείδου τοῦ ποιητοῦ.

Testimonii verba optime respondent eis, quae antea orator fecerat; praeterea autem in formula tantum exstat nomen pagi, ex quo Hipparchus ortus erat. Qua ex re ut Westermannus formulam genuinam esse concludat, tantum abest ut contra putet ex verbis orationis a falsario aliquo eam compositam, pagi autem nomen fictum esse. At hujus ratiocinationis nulla justa causa est, immo nisi Hipparchum non fuisse Athmonensem demonstrari possit, hoc nomine apposito auctoritatem testimonii maxime confirmari existimo, etsi nomen alibi aut apud oratores aut in inscriptionibus non exstare videtur.

Neaera postquam jam cum multis viris rem habuit, emta erat a Phrynione, id quod confirmatur testimonio § 42:

Φίλαγρος Μελιτεὺς μαρτυρεῖ παρεῖναι ἐν Κορίνθῳ, ὅτε Φρυνίων ὁ Δημοχάρους ἀδελφὸς κατετίθει εἴκοσι μνᾶς Νεαίρας τῆς νῦν ἀγωνιζομένης Τιμανορίδᾳ τῷ Κορινθίῳ καὶ Εὐκράτει τῷ Λευκαδίῳ· καὶ καταθεὶς τὸ ἀργύριον ᾤχετο ἀπάγων Ἀθήναζε Νέαιραν.

In hoc testimonio complura sunt, quae offensionem praebeant. Primum quidem offenditur Westermannus, quod non dictum sit, cujus rei causa Phrynion pecunias solverit; at hoc probare non possum, cum hanc rem satis significari putem verbis *Νεαίρας τῆς νῦν ἀγωνιζομένης*. Gravior autem altera offensio est; in fine enim formulae vir doctissimus suo jure offendit, quoniam neque orator ullo loco dicit, quo Phrynion sese verterit, neque extrema verba cum ceteris ullo modo cohaerent neque omnino ad rem pertinent. Fortasse obiciat quispiam verba librarii errore formulae adjuncta esse, ab initio autem ad verba orationis applicata fuisse; at hoc statuere mea quidem

sententia non licet, cum oratorem ad interruptam narrationem semper particula *τοίνυν* reverti videam Mihi igitur falsarius aliquis haec verba, respiciens et ea quae praecedunt *ἐφ' ᾧ ἐν Κορίνθῳ μὴ ἐργάζεσθαι* et quae sequuntur *ἀφικόμενος τοίνυν δεῦρο ἔχων αὐτήν*, finxisse atque inepte testimonio adjecisse videtur.

In ipso autem testimonio Phrynion, qui quidem ab oratore supra Demonis filius, Democharis frater, Paeaniensis nominabatur, modo Democharis frater [1] appellatur. Quae significatio fortasse scrupulos moveat, cum in titulis atticis et in his formulis aut simplex nomen ponatur, aut patris vel pagi, sed nusquam fratris, nomina adiciantur. At hanc offensionem levari saltem posse existimo. Phrynionem enim, cum hoc loco non testis esset, sed ab aliis ejus mentio fieret, vix sollemni ratione notari opus erat; cum autem etiam testes varium in modum significari videamus, num tantopere offendendum est in hac Phormionis notatione? Sed cur hac ipsa ratione, fratris nomine addito, Phrynion appelletur, quaeras! De Demochare sane non talia [2] nobis traduntur, ut putare possimus has ob res tunc [3] ejus nomen in sermone versatum esse. Sed fortasse Demochares alias quoque res fecit, quarum apud scriptores quidem nulla fit mentio, sed in hominum mentibus tam integra haesit memoria, ut hanc ob causam orator ab usitata significatione recederet. Propter haec autem verba formulam subditiciam judicare ea quoque re vetamur, quod eadem significatio exstat in testimonio § 53, cujus de auctoritate minime dubitare licere infra [4] ostendam

---

[1] Quod Athen. 13, 593 Phrynionem *ἀδελφιδοῦν Δημοχάρους* nominat, mihi videtur non multum valere, sed hac in re Westermanno assentior, cujus descriptionem stemmatis familiae Demosthenis a Schaefero quoque l. l. vol. 3 part. 2 p. 56 probari video.

[2] Fere anno a. Chr. n. 375 ut magister equitum cum Amynta ejusque filio Alexandro pactionem fecit, qua de re cf. C. I. A. vol. 2 tit. 15b.

[3] Cum orationem inter annos 343 et 340 habitam esse consentiant viri docti, triginta anni praeterierunt.

[4] cf. hujus disputationis p. 42.

Neque vero ex parte modo interpolatum, sed prorsus subditicium atque posterioribus demum temporibus a falsario ex orationis verbis compositum esse videtur testimonium, quod exstat in § 45:

> *Χιωνίδης Ξυπεταιών, Εὐθετίων Κυδαθηναιεὺς μαρτυροῦσι κληθῆναι ὑπὸ Χαβρίου ἐπὶ δεῖπνον, ὅτε τὰ ἐπινίκια εἱστία Χαβρίας τῆς νίκης τοῦ ἅρματος, καὶ εἱστιᾶσθαι ἐπὶ Κωλιάδι, καὶ εἰδέναι Φρυνίωνα παρόντα ἐν τῷ δείπνῳ τούτῳ ἔχοντα Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην, καὶ καθεύδειν σφᾶς αὐτοὺς καὶ Φρυνίωνα καὶ Νέαιραν, καὶ αἰσθάνεσθαι αὐτοὶ ἀνισταμένους τῆς νυκτὸς πρὸς Νέαιραν ἄλλους τε καὶ τῶν διακόνων τινάς, οἳ ἦσαν Χαβρίου οἰκέται.*

Hujus testimonii sermo nobis complures offensiones praebet: primum quidem maxime dubitat Westermannus, num aliis locis usquam scriptum sit *ἐπινίκια ἑστιᾶν τῆς νίκης τοῦ ἅρματος*, tum offenditur vir doctissimus verborum structura *καθεύδειν σφᾶς αὐτοὺς* et *αἰσθάνεσθαι αὐτοί*, denique quaerit, quomodo fieri possit, ut homines simul dormiant ac tamen res observent. Mihi quidem hae offensiones tantum valere videntur, ut hoc testimonium pro falso habere non dubitem. Quod autem complures viri docti ultimam offensionem tollere conati sunt, interpretantes verbum *καθεύδειν* aut cubitum ire aut pernoctare, vereor ne haec significatio nullo alio loco reperiatur.

Neque mihi obicias, ut oratores atticos in conficiendis testimoniis plerumque ordinis et eruditionis testium rationem habuissent, [1] ita hoc loco oratorem fortasse ideo, quod testes infimo loco nati essent, minus eleganti dicendi ratione usum esse; nam quamquam testes nobis aliunde noti non sunt, tamen ex ea re, quod amici Chabriae imperatoris [2] sunt, mihi concludi posse videtur ipsos quoque

---

[1] cf. Wachholtz, l. l. p. 11.

[2] Hunc Chabriam esse imperatorem illustrem, apparet ex titulo quodam, cf. C. I. A. vol. 2 tit. 804; Dittenberger, sylloge inscript. graec. vol. 2 tit. 351.

non infimo loco natos esse. Puto autem falsarium aliquem inscitum, verbis oratoris inepte[1] usum, hanc formulam confecisse.

Sequitur in § 53 hoc testimonium:

Αἰήτης Κειριάδης[2] *μαρτυρεῖ πολεμαρχοῦντος αὐτοῦ κατεγγυηθῆναι Νέαιραν τὴν νυνὶ ἀγωνιζομένην ὑπὸ Φρυνίωνος τοῦ Δημοχάρους ἀδελφοῦ, καὶ ἐγγυητὰς γενέσθαι Νεαίρας Στέφανον Ἐροιάδην, Γλαυκέτην Κηφισιέα, Ἀριστοκράτην Φαληρέα.*

In hoc testimonio Westermannum primum quidem offenderunt sponsorum nomina in fine exstantia, quae plane supervacanea essent, cum desideraretur hoc loco causa, de qua sponsio facta esset. At hoc viro doctissimo concedere nequeo: immo contendo polemarchi non fuisse causam afferre, sed nomina sponsorum nullo modo omittere licuisse. Nam cum Athenis in omnibus rebus, ex quibus fortasse lis oriri potuit, testes vel sponsores adhibitos eaque demum re talem pactionem ratam factam esse satis notum sit, num omnino fieri potuit, ut nomina sponsorum omitterentur?

Altera Westermanni offensio inde repetita est, quod orator in verbis, quae sequuntur, unum tantum sponsorem affert; at haec res offensionem non praebet, sed maxime consentaneum est oratorem nomina ceterorum sponsorum, quae non ad rem suam pertinent, omittere et ejus modo nomen afferre, in quem nunc magis invecturus est.

Denique Westermannus dicit ex nominibus sponsorum, quae quidem in textu non reperiuntur, nihil de auctoritate instrumenti concludere licere, sed ea a falsario esse ficta. Quam ratiocinationem quamquam nihil valere jam antea

[1] Hoc maxime apparebit, si comparabis verba *καθεύδοντος Φορμίωνος* et *καθεύδειν σφᾶς αὐτούς*.

[2] Rectissime Reiskius haec nomina scripsit pro iis quae in libris exstant.

demonstravimus, tamen hoc loco prorsus reicere possumus, cum illa nomina in titulis reperiantur. Stephani quidem Antidoridae[1] filii Eroeadae nomen Schaeferus ex conjectura restituit in titulo,[2] qui originem ducit ex anno a. Chr. n. 347; atque si forte hoc documentum ut ex conjectura ductum reicias, titulum[3] quendam conferas anni a. Chr. n. 332, in quo Cleocharis Glaucetae filii Cephisiensis mentio fit, et alterum titulum[4] anni a. Chr. n. 421, in quo commemoratur Aristocrates Phalerensis, qui quin cum nostro necessitate conjunctus sit mihi quidem dubium non videtur.

Aliud testimonium, quo Neaeram quibuslibet viris corpus permisisse demonstratur, exstat in § 61:

Μαρτυρία· Σάτυρος Ἀλωπεκῆθεν, Σαυρίας Λαμπτρεύς, Διογείτων Ἀχαρνεὺς μαρτυροῦσι διαλλάξαι διαιτηταὶ γενόμενοι περὶ Νεαίρας τῆς νυνὶ ἀγωνιζομένης Στέφανον καὶ Φρυνίωνα· τὰς δὲ διαλλαγὰς εἶναι, καθ' ἃς διήλλαξαν, οἵας παρέχεται Ἀπολλόδωρος.

Διαλλαγαί· Κατὰ τάδε διήλλαξαν Φρυνίωνα καὶ Στέφανον, χρῆσθαι ἑκάτερον Νεαίρᾳ τὰς ἴσας ἡμέρας τοῦ μηνὸς παρ' ἑαυτοῖς ἔχοντας, ἂν μή τι ἄλλο αὐτοὶ αὑτοῖς συγχωρήσωσιν.

Quarum formularum in altera verba *τὰς ἴσας ἡμέρας τοῦ μηνός* inepta esse contendit Westermannus, cum id sane dici possit de integris qui vocantur mensibus, sed non item de cavis, qui quidem in duas pares partes dividi nequeant. Sed haec offensio mihi subtilior esse videtur, quam ut magnam ei vim tribuam; nam haec sane non

[1] Ad hoc patris nomen optime quadrat, quod filius Neaerae vel Stephani appellatur Antidorides.

[2] cf. C. I. A. vol. 2 tit. 109; Schaefer, l. l. vol. 1 p. 435, vol. 3 part. 2 p. 342.

[3] cf. C. I. A. vol. 2 tit. 804.

[4] cf. C. I. A. vol. 1 tit. 260.

prorsus accurata significatio in quotidiano sermone omnium temporum usurpatur neque, ut sententia verborum intellegatur, opus est verbis oratoris *συνεῖναι δ'ἑκατέρῳ ἡμέραν παρ' ἡμέραν.*

Tum objecit vir doctissimus verisimile esse testes, qui ipsi quoque arbitri essent, simul pactionis argumentum testatos esse neque ullam justam causam exstare, cur testimonium et pactio separanda essent. Sed haec sententia non tantum verisimilitatis habet, ut hanc ob causam formulas subditicias existimemus; nam quamquam concedendum est potuisse quoque testes testari pactionem et factam esse et illas sententias, quas orator supra enumeraverat, continuisse, tamen hujus conjunctionis nulla est necessitas, sed formulae ideo fortasse ab oratore separatae sunt, quo magis judices moverent Fuerunt autem, qui contenderent omnino non potuisse formulas conjungi, sed necesse fuisse separatas afferre, cum pactio, simulac facta esset, ab arbitris litteris mandata esset. At haec sententia non prorsus vera mihi videtur esse, cum non nisi his formulis confirmari possit; sed fortasse statuendum sit formulam postea demum, cum res in judicium venisset, ab oratore comprobantibus et testantibus arbitris scriptam esse. Qua sententia probata ultima Westermanni offensio facile tolli potest; offendit enim virum doctissimum, quod in pactionis formula non ea, quae orator supra enumeravit, omnia continentur. At nonne orator, cum formulam composuit, ea modo, quae summi momenti esse videbantur, eligere, alia minus gravia omittere potuit?

Tradita igitur pactionis formula non integra quidem est, sed fieri potuit, ut haec ipsa in judicio recitaretur. In testimonio autem ne Westermannus quidem habuit quod vituperaret.

Quomodo autem Neaera, cum in Stephani et Phrynionis manu esset, vixerit, nobis demonstratur testimonio § 63:

Εὔβουλος Προβαλίσιος,[1] *Διοπείθης Μελιτεύς, Κτήσων ἐκ Κεραμέων μαρτυροῦσιν, ἐπειδὴ αἱ διαλλαγαὶ ἐγένοντο αἱ περὶ Νεαίρας Φρυνίωνι καὶ Στεφάνῳ, πολλάκις συνδειπνῆσαι αὐτοῖς καὶ συμπίνειν μετὰ Νεαίρας τῆς νυνὶ ἀγωνιζομένης καὶ ὁπότε παρὰ Στεφάνῳ εἴη Νέαιρα καὶ ὁπότε παρὰ Φρυνίωνι.*

In hoc testimonio neque si sermonem neque si res ipsas respicimus quidquam est, quod vituperemus, ac ne Westermannus quidem habuit, quod contra ejus fidem proferret Vituperat autem id unum, nomina patrum in formula deesse; sed de hac re jam supra accuratius disputatum est.

Neaera cum ad Stephanum veniret, jam filiam, quae antea Strybele, tum Phano nominabatur, secum duxerat. Quam filiam Stephanus, quasi esset sua ipsius filia, Phrastori despondit, qui tamen paullo post, cum mulierem non Stephani, sed Neaerae filiam esse comperisset, illam ex domo expulit neque dotem reddidit. Quare Stephanus initio quidem Phrastori actionem alimentorum intendit, sed cum contra Phrastor ipsum accusaret, quod sibi peregrinam mulierem in matrimonium dedisset, sua sponte a Phrastore petiit, ut accusationem tolleret et ipse quoque ab actione destitit. Quam rem, cum Neaeram esse peregrinam aperte demonstret, Apollodorus in oratione multis verbis exponit atque etiam Phrastorem adhortatur, ut re vera hoc factum esse testetur Tum sequitur in § 71 hoc testimonium:

Φράστωρ Αἰγιλιεὺς μαρτυρεῖ, ἐπειδὴ ᾔσθετο Νεαίρας θυγατέρα ἐγγυήσαντα αὐτῷ Στέφανον ὡς ἑαυτοῦ οὖσαν θυγατέρα, γράψασθαι αὐτὸν γραφὴν πρὸς τοὺς θεσμοθέτας κατὰ τὸν νόμον, καὶ τὴν ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν ἐκ

---

[1] Rossius, de pagis Atticis p. 156 contendit Eubuli filium esse illum, qui in Demosth. or. 54 § 11 commemoratur; sed de hac re vix dijudicari posse existimo.

τῆς ἑαυτοῦ οἰκίας καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ, καὶ λαχόντος αὐτῷ Στεφάνου εἰς ᾠδεῖον σίτου διαλύσασθαι πρὸς αὐτὸν Στέφανον, ὥστε τὴν γραφὴν ἀναιρεθῆναι παρὰ τῶν θεσμοθετῶν καὶ τὴν δίκην τοῦ σίτου, ἣν ἔλαχεν ἐμοὶ Στέφανος.

In hoc testimonio primum quidem maxime offendit, quod ordo rerum plane confunditur, ita ut omnino intellegi nequeant. Hanc autem rerum perturbationem librariorum culpa ortam esse mihi persuadere non potui, sed cum partes testimonii omnes praeter verba *καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ* in ipsius orationis tenore exstare videam, falsarium aliquem puto sententias oratoris excerpsisse, sed verum rerum ordinem non retinuisse. Alteram offensionem praebet vox *ἐμοί*, quae quidem vix corruptela, sed potius falsarii neglegentia vel inscitia orta esse videtur.

In orationis § 72 orator promittit se praebiturum esse *καὶ ἑτέραν μαρτυρίαν τοῦ τε Φράστορος καὶ τῶν φρατέρων αὐτοῦ καὶ γεννητῶν, ὡς ἔστι ξένη Νέαιρα αὕτη.* In iis autem, quae sequuntur, orator multis verbis exponit Phrastorem aegrotum a Phano commotum esse, ut puerum ex illa ortum adoptaret et in gentem Brytidarum et phratriam induceret, sed cum gennetae ne illum puerum in gentem reciperent recusassent et a patre postulassent, ut juraret filium ex cive muliere ortum esse, ipsum noluisse tale jusjurandum dare. Cujus narrationis veritas nobis uno hoc testimonio confirmatur, quod exstat in § 79:

Τιμόστρατος Ἑκάληθεν, Ξάνθιππος Ἐροιάδης, Εὐάλκης Φαληρεύς, Ἄνυτος Λακιάδης, Εὐφράνωρ Αἰγιλιεύς, Νίκιππος Κεφαλῆθεν μαρτυροῦσιν εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ Φράστορα τὸν Αἰγιλιέα τῶν γεννητῶν, οἳ καλοῦνται Βρυτίδαι, καὶ ἀξιοῦντος Φράστορος εἰσάγειν τὸν υἱὸν αὐτοῦ εἰς τοὺς γεννήτας, εἰδότες αὐτοὶ ὅτι Φράστορος υἱὸς εἴη ἐκ τῆς θυγατρὸς τῆς Νεαίρας, κωλύειν εἰσάγειν Φράστορα τὸν υἱόν.

Hoc testimonium Westermanno plane ineptum videtur esse, quod hoc omnino nihil demonstretur, sed tum demum ratum esset, si Phrastor quoque se jurare noluisse testaretur. Quae offensio mihi videtur gravissima esse, ita ut, nisi aliud subsidium exstaret, hanc formulam subditiciam judicare non dubitarem. Sed quomodo illa oratoris verba, quae supra laudavi, intellegenda sunt? Mihi quidem necesse esse non videtur significari, oratorem unum testimonium, quod simul a Phrastore et a ceteris fiat, praebiturum esse, sed his verbis optime duo testimonia intellegi posse puto, quorum alterum Brytidarum etiam nunc exstat, alterum Phrastoris intercidit. At haec instrumenta uno tenore, nullis oratoris verbis interpositis, a scriba recitata esse mihi non verisimile est, sed ab initio post § 77 Brytidarum, post § 78 Phrastoris testimonium insertum fuisse existimo. Cum autem alterum testimonium, Phrastoris dico, nescio quo casu excidisset, ille qui postea orationem descripsit, cum videret de Phrastoris rebus in sequenti quoque § 78 dici et Brytidarum testimonium in media disputatione exstare, aptius hoc positum esse in fine narrationis ratus, et verba oratoris *καὶ ὅτι ἀληθῆ ταῦτα λέγω, τούτων ὑμῖν μάρτυρας τοὺς παρόντας Βρυτιδῶν παρέξομαι* et testimonium post § 78 transposuit.

In ipsa vero formula, hac ratione, quae arbitraria appellari posse mihi quidem non videtur, in justum locum reposita, inesse, quo offendamur, vix puto. Nam quod viri testantur *εἶναι καὶ αὐτοὺς καὶ τὸν Φράστορα τὸν Αἰγιλιέα τῶν γεννητῶν, οἳ καλοῦνται Βρυτίδαι*, in hac dictione noli offendere; nam tam copiosa significatione opus erat, ut judicibus, qui quidem non omnia phratriarum gentiumque nomina nosse poterant, aperte exponeretur, qui viri essent Brytidae.[1] Quod autem nomina virorum, quae hic enumerantur, nullo alio loco exstant, mihi non magis offensionem habere videtur quam quod testes ex diversis pagis orti sunt.[2]

[1] Forma enim patronymicorum in aliis quoque significationibus, ut in nominibus phratriarum, reperitur.

[2] cf. Philippi, l. l. p. 150.

Hoc unum fortasse scrupulos moveat, quod in formula Brytidae gentiles tantum dicuntur, contra in ipsa oratione puerum recipiendum et ad phrateras et ad gentiles productum esse contenditur. At haec quoque offensio facile tolletur, si qualis ratio tunc inter phratrias et gentes intercesserit exponemus. Clisthenes enim, cum civitatem nova ratione disponeret, phratrias, quae antea exstiterant, plane sustulit atque novas, quarum in unam induci omnibus civibus condicio civitatis erat, constituit. Contra antiquas gentes non plane amovit, sed potestatem tantum eis eripuit, ita ut liberi gennetarum porro in stemmata gentium inscriberentur, sed haec inscriptio per se ipsa non esset condicio civitatis Quare liberi, quorum patres jam in aliqua gente fuerant,[1] in duo stemmata, et phratriae et gentis inscribebantur. Atque phrateras, cum quaestio esset liberine recipiendi essent necne, judicio gentilium, qui quidem aut eodem tempore aut paullo ante judicabant, maximam auctoritatem tribuisse plane consentaneum est. Phrastorem igitur, cum Brytidarum gentis esset, primum quidem apud gentiles puerum induxisse non est mirum, atque cum hi puerum recipere recusassent, ne in phratriam quidem recipi potuit, ita ut Brytidarum testimonio illud phraterum jam contineretur. Quare hoc mihi offensionem praebere non videtur, praesertim cum aliis quoque locis[2] hujus liberorum in gentes inductionis mentio fiat.

In § 83 orator aliud quoque argumentum se allaturum esse promittit, cum judices admoneat his verbis: *σκέψασθε δὲ καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν τὴν Στεφάνου τουτουὶ καὶ τὴν πονηρίαν, ἵνα καὶ ἐκ ταύτης εἰδῆτε, ὅτι οὐκ ἔστι Νέαιρα αὕτη ἀστή.* Res autem, quam nunc multis verbis exponit, haec est:

[1] Non omnes cives in gentibus erant, cum Clisthenes multos peregrinos et libertinos, quos in civitatem receperat, in phratrias tantum induxisset. De his rebus cf. Philippi, l. l. p. 168; Gilbert, antiq. publ. graec. p. 142 et 200 sq.; Schoemann, antiq. gr. vol. 1 p. 386.

[2] cf. Isaei orat. 7 § 13; Andoc. orat. 1 § 127.

Stephanus ab Epaeneto, quem in Phano, Neaerae filia, adulterum deprehenderat, magnam pecuniam expresserat. Epaenetus autem, cum praedibus datis in libertatem vindicatus esset, statim Stephano litem intenderat, quod cum Phano non civis, sed peregrina atque meretrix fuisset, omnino non adulterasset, sed injuste comprehensus esset. Qua lite cum Stephanus se casurum esse intellexisset, sua sponte ab illo petierat, ut accusationem tolleret, et per arbitros in gratiam cum illo redierat. Hujus autem narrationis fides duobus instrumentis confirmatur, quae in §§ 92 et 93 exstant:

> *Μάρτυρες. Ναυσίφιλος Κεφαλῆθεν, Ἀριστόμαχος Κεφαλῆθεν μαρτυροῦσιν ἐγγυηταὶ γενέσθαι Ἐπαινέτου τοῦ Ἀνδρίου, ὅτ' ἔφη Στέφανος μοιχὸν εἰληφέναι Ἐπαίνετον· καὶ ἐπειδὴ ἐξῆλθεν Ἐπαίνετος παρὰ Στεφάνου καὶ κύριος ἐγένετο αὑτοῦ, γράψασθαι γραφὴν Στέφανον πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, ὅτι αὐτὸν ἀδίκως εἶρξεν· καὶ αὐτοὶ διαλλακταὶ γενόμενοι διαλλάξαι Ἐπαίνετον καὶ Στέφανον· τὰς δὲ διαλλαγὰς εἶναι, ἃς παρέχεται Ἀπολλόδωρος.*
>
> *Διαλλαγαί. Ἐπὶ τοῖσδε διήλλαξαν Στέφανον καὶ Ἐπαίνετον οἱ διαλλακταὶ, τῶν μὲν γεγενημένων περὶ τὸν εἰργμὸν μηδεμίαν μνείαν ἔχειν, Ἐπαίνετον δὲ δοῦναι χιλίας δραχμὰς Φανοῖ εἰς ἔκδοσιν, ἐπειδὴ κέχρηται αὐτῇ πολλάκις· Στέφανον δὲ παρέχειν Φανὼ Ἐπαινέτῳ, ὁπόταν ἐπιδημῇ καὶ βούληται συνεῖναι αὐτῇ.*

Horum instrumentorum verba apud homines doctos multos scrupulos moverunt. Primum quidem Reiskius post verbum *αὑτοῦ* desideravit pronomen *αὐτόν*, quo omisso vox *γράψασθαι* non nisi ad arbitros referri posset; sed suo jure Schaeferus opposuit vocem non addendam, sed subaudiendam atque etiam voce omissa sententiam esse manifestam. Tum Westermannus verba, quae non in oratione, sed in formula tantum exstant, a falsario aliquo de suo ficta esse existimavit. At quod narratione oratoris non significari Epaenetum saepius cum Phano rem habuisse vir doctissimus contendit, id mihi non recte dictum, sed probabile

est Stephanum antea saepius Epaeneti et Phanus consuetudinem permisisse, ut hic eo securior fieret.

Gravior autem est altera Westermanni offensio, quae in eo est, quod posterioris partis pactionis ab oratore nulla fit mentio atque postrema condicio etiam repugnat verbis *εἰς ἔκδοσιν*. Cui posteriori offensioni quamquam obici potest non intellegi conubium, quod brevi fiat, sed dotem ideo dari, ut mulieri tum demum, si forte nubat, praesto sit, tamen prior illa restat; atque maxime mirum esset, si orator in accuratissima enarratione hanc condicionem omisisset. Tum haesitavit Westermannus in voce *διαλλακταί*, quae posita esset pro illa *διαιτηταί*, cum in tabula publica verbis propriis ac sollemnibus utendum fuisse judicaret. Quam offensionem Hudtwalckerus[1] ita tollere studuit, ut re vera *διαλλακτάς* exstitisse contenderet, diversos ab iis arbitris, qui dicerentur *διαιτηταί*; at cum vir doctissimus sententiam suam locupletibus testimoniis confirmare non potuerit, mihi Westermanni offensio adhuc valere videtur.

Ut autem vana argumenta, quae contra aliarum quoque formularum auctoritatem protulit quaeque jam supra repulsa sunt, omittam, vir doctissimus ideo testimonium suppositum esse judicavit, quod hoc minime probaretur id quod orator demonstrare voluit Neaeram quidem omnino non nominari, id non mirum est, sed ab arbitris, qui quidem quaecunque res ab utraque parte gestae erant, non ignorabant, si non hae omnes, attamen ea, ex qua sola de Neaerae origine conici potuit, commemorari debuit, Stephanum ipsum sua sponte proposuisse, ut in gratiam redirent.

Itaque facere non poteris, quin, cum tot offensiones concurrant, formulae auctoritatem defendi non posse concedas.

Postea Phano, Neaerae filia, a Stephano Theogeni in matrimonium data est atque etiam, cum hic magistratum

[1] cf. l. l. p. 158 adnot.

regis sacrificuli administraret, sacra publica fecit. Theogenes autem, cum ab Areopagitis vituperaretur atque puniretur, quod peregrinam mulierem in matrimonium duxisset et ut reginam sacrificulam sacra publica facere permisisset, professus se a Stephano deceptum, sed statim mulierem e domo ejecturum esse, Phano in patris domum remisit. Cujus narrationis fides nobis hoc testimonio § 111 confirmatur:

> *Θεογένης Ἐρχιεὺς μαρτυρεῖ, ὅτ' αὐτὸς ἐβασίλευε, γῆμαι Φανὼ ὡς Στεφάνου οὖσαν θυγατέρα, ἐπεὶ δὲ ᾔσθετο ἐξηπατημένος, τήν τε ἄνθρωπον ἐκβαλεῖν καὶ οὐκέτι συνοικεῖν αὐτῇ, καὶ Στέφανον ἀπελάσαι ἀπὸ τῆς παρεδρίας καὶ οὐκ ἐᾶν ἔτι παρεδρεύειν αὐτῷ.*

Hoc testimonium Westermannus dicit hoc loco plane ineptum esse; ex verbis enim, quae orator antea fecerit *καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, τούτων ὑμῖν μάρτυρα αὐτὸν τὸν Θεογένην καλῶ καὶ ἀναγκάσω μαρτυρεῖν* exspectari formula omnes res, quas antea orator exposuerit, confirmari. At virum doctissimum vocem *ταῦτα* hoc modo intellecturum fuisse vix puto, si animum advertisset ad verba, quae orator in § 105 facit: *φέρε δὴ καὶ μαρτυρίαν παράσχωμαι ὑμῖν δι' ἀπορρήτου μὲν γεγενημένην, ὅμως δὲ αὐτοῖς τοῖς πεπραγμένοις ἐπιδείξω φανερὰν οὖσαν αὐτὴν καὶ ἀληθῆ.* Testimonio igitur erat id quod in Areopago disputatum erat; sed cum hae disputationes in arcano fuerint, orator se has res eventu probaturum esse promittit. Quid autem, si, ut vult Westermannus, actiones in Areopago factae probarentur, tum in arcano esset, quod orator probare nequiret? Neque mihi recte sentire videtur vir doctissimus, quod voce *ἀναγκάσω* probari dicit non modo eventum, sed totum rerum ordinem intellegendum esse, quem audientibus in memoriam revocari fortasse moleste ferat Theogenes; sed nonne id jam oratoris narratione factum est, ita ut haec cura plane inutilis esset? Quare viro doctissimo assentiri nequeo, sed testimonium omni offensione vacare existimo, quoniam alterum scrupulum, qui inest in nomine

Ἐρχιεύς, jam Westermannus ipse amovit, cum in § 94 pro nomine *Κυθωκίδην*, quod propter hoc nomen *Ἐρχιεύς* ferri non potest, Voemelium secutus scriberet *Κοιρωνίδην*.

Denique in hujus orationis §§ 159 usque ad 161 haec duo instrumenta exstant, separata verbis oratoris, quibus se ad scribam publicum vertit:

λέγε τὴν μαρτυρίαν, ἔπειτα τὴν πρόκλησιν.

Μαρτυρία. Ἱπποκράτης Ἱπποκράτους Προβαλίσιος, Δημοσθένης Δημοσθένους Παιανιεύς, Διοφάνης Διοφάνους Ἀλωπεκῆθεν, Διομένης Ἀρχελάου Κυδαθηναιεύς, Δεινίας Φορμίδου Κυδαντίδης, Λυσίμαχος Λυσίππου Αἰγιλιεύς[1] *μαρτυροῦσι παρεῖναι ἐν ἀγορᾷ, ὅτ' Ἀπολλόδωρος προὐκαλεῖτο Στέφανον, ἀξιῶν παραδοῦναι εἰς βάσανον τὰς θεραπαίνας, περὶ ὧν ᾐτιᾶτο Ἀπολλόδωρος Στέφανον περὶ Νεαίρας· Στέφανον δ' οὐκ ἐθελῆσαι παραδοῦναι τὰς θεραπαίνας· τὴν δὲ πρόκλησιν εἶναι, ἣν παρέχεται Ἀπολλόδωρος.*

λέγε δὴ αὐτὴν τὴν πρόκλησιν, ἣν προὐκαλούμην ἐγὼ Στέφανον τουτονί.

Πρόκλησις. Τάδε προὐκαλεῖτο Ἀπολλόδωρος Στέφανον, περὶ ὧν τὴν γραφὴν γέγραπται, Νέαιραν ξένην οὖσαν ἀστῷ συνοικεῖν, ἕτοιμος ὢν τὰς θεραπαίνας παραλαμβάνειν τὰς Νεαίρας, ἃς ἐκ Μεγάρων ἔχουσα ἦλθε, Θρᾷτταν καὶ Κοκκαλίνην καὶ ἃς ὕστερον παρὰ Στεφάνῳ ἐκτήσατο, Ξεννίδα καὶ Δροσίδα, τὰς εἰδυίας ἀκριβῶς περὶ τῶν παίδων τῶν Νεαίρας, ὅτι οὐκ ἐκ Στεφάνου εἰσί, Πρόξενός τε ὁ τελευτήσας καὶ Ἀρίστων ὁ νῦν ὢν καὶ Ἀντιδωρίδης ὁ στασιοδρομῶν καὶ Φανώ, ἐφ' ᾧ τε βασανίσαι αὐτάς. καὶ εἰ μὲν ὁμολογοῖεν ἐκ Στεφάνου εἶναι καὶ Νεαίρας τούτους τοὺς παῖδας, πεπρᾶσθαι Νέαιραν κατὰ τοὺς νόμους καὶ τοὺς παῖδας ξένους εἶναι· εἰ δὲ μὴ ὁμολογοῖεν ἐκ ταύτης εἶναι αὐτούς, ἀλλ' ἐξ ἑτέρας

[1] Hanc scripturam pro illa librorum *Αἰγιαλεύς* primus Palmerius restituit.

γυναικὸς ἀστῆς, ἀφίστασθαι τοῦ ἀγῶνος ἤθελον τοῦ Νεαίρας, καὶ εἴ τι ἐκ τῶν βασάνων βλαφθείησαν αἱ ἄνθρωποι, ἀποτίνειν ὅτι βλαβείησαν.

Quarum formularum in posteriore codices manuscripti exhibent verba *ὅτι ἐκ Στεφάνου εἰσί*, quae Dindorfius in editione sua servavit. At haec verba ferri non possunt, nam orator id ipsum demonstrare vult liberos esse non Stephani, sed Neaerae, id quod apparet ex verbis, quae sequuntur. Quare mihi Voemelius rectius fecisse videtur, cum scriberet *ὅτι οὐκ ἐκ Στεφάνου εἰσί.*

Iam si de auctoritate instrumentorum quaerimus, ne Westermannus quidem ullam justam offensionem proferre potuit, sed objecit modo, quod jam alibi refutatum est, formulas ex oratione compositas et nomina testium a falsario ficta esse. Contra fortasse nonnulla quamvis levia argumenta afferri possunt, ex quibus auctoritas atque fides instrumentorum appareat. Nonne enim judicandum est falsarium, si verbis oratoris usus esset, supervacanea quoque, ut nomina servarum, in testimonium translaturum, et, cum cetera verba recepisset, verba quoque *ἡ Στρυβήλη καλουμένη* recepturum fuisse?

Cum autem in structura non ita eleganti *περὶ ὧν ᾐτιᾶτο Ἀπολλόδωρος Στέφανον, περὶ Νεαίρας* ne Westermannus quidem offendat, nulla jam causa exstat, cur negemus posse quidem formulas nostras easdem esse, quae in judicio a scriba recitatae sunt.[1]

Praeter haec quae adhuc tractavi litis instrumenta in hac oratione duae formulae reperiuntur, una quidem populisciti, altera jurisjurandi.

Atque primum quidem inquiramus in populisciti de Plataeensibus[2] formulam, quae in § 136 exstat:

[1] Item hanc formulam genuinam putat Kirchner, l. l. p. 33.

[2] De tempore, quo hoc populiscitum factum est, vide quae Szánto scripsit in studiis Vindobon. a. 1884 p. 160.

Ἱπποκράτης εἶπε Πλαταιέας εἶναι Ἀθηναίους ἀπὸ τῆσδε τῆς ἡμέρας, ἐντίμους καθάπερ οἱ ἄλλοι Ἀθηναῖοι, καὶ μετεῖναι αὐτοῖς ὧνπερ Ἀθηναίοις μέτεστι πάντων, καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους, μηδὲ τῶν ἐννέα ἀρχόντων, τοῖς δ' ἐκ τούτων. καταμεῖμαι δὲ τοὺς Πλαταιέας εἰς τοὺς δήμους καὶ τὰς φυλάς. ἐπειδὰν δὲ νεμηθῶσι, μὴ ἐξέστω ἔτι Ἀθηναίῳ μηδενὶ γίγνεσθαι Πλαταιέων, μὴ εὑρομένῳ παρὰ τοῦ δήμου τοῦ Ἀθηναίων.

De hujus formulae auctoritate num certo dijudicari possit maxime dubito, cum hoc populiscitum nullo alio loco laudetur. Atque hac quidem formula non totum populiscitum contineri cum per se verisimile est, tum ex iis apparet, quae orator explicandi causa addidit. Possunt autem tradita verba initio populisciti scripta fuisse et casu nescioquo altera pars, in qua cum de aliis fortasse tum de examine recipiendorum, de perscriptione nominum deque civitate filiorum disserebatur, quamque ipsam quoque oratorem legi jussisse persuasum habeo, postea excidisse. Cui sententiae non repugnat, quod nomini ejus, qui legem tulerat, nomina patris aut pagi addita non sunt; nam in eis decretis, quae ante annum a. Chr. n. 353 confecta sunt, nusquam haec nomina adduntur. Neque eo offendaris, quod nomina archontis, tribus, scribae, diei non exstant, nam haec nomina facile jam orator omittere potuit, cum omnia enumerare minime e re sua esset.

Verba autem formulae et verba oratoris ad easdem res pertinentia optime inter se conveniunt, neque multum valet, quod orator dicit Plataeenses *μηδεμιᾶς ἱερωσύνης μετέχειν*, cum in formula legamus *μετεῖναι καὶ ἱερῶν καὶ ὁσίων, πλὴν εἴ τις ἱερωσύνη ἢ τελετή ἐστιν ἐκ γένους*; cum enim longe plurima sacerdotia hereditate intra gentes, in quas quidem Plataeenses non recipiebantur, traditae sint, orator non prorsus accurate Plataeenses omnium sacerdotiorum expertes esse dicit.

Quae cum ita sint, nisi gravissimas causas contra formulae traditae auctoritatem proferes, mihi haec verba

nunquam in populiscito illo exstitisse, sed a falsario aliquo composita esse non persuadebis. Quae sententia mihi confirmatur, cum videam et Meierum[1] quoque et Islerum[2] et Szantovium hanc formulam genuinam putare neque v. d. Esium,[3] qui de plerarumque aliarum formularum auctoritate diserte judicat, huic formulae fidem derogare ausum esse.

Idem fere dicendum est de litis instrumento, quod jam unum restat, de formula jurisjurandi sacerdotum, quae vocabantur *γεραραί*, cujus verba in oratione haec laudantur:

Ὅρκος γεραρῶν. Ἁγιστεύω καὶ εἰμὶ καθαρὰ καὶ ἁγνὴ ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν οὐ καθαρευόντων καὶ ἀπ' ἀνδρὸς συνουσίας, καὶ τὰ θεόγνια καὶ τὰ ἰοβάκχεια γεραρῶ τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις.

Primum quidem de formulae scriptura pauca verba facienda sunt. Praeter lectionem enim *γεραρῶν* in codicibus legitur *γεραιρῶν* vel *γεραίρων*, sed has formas a grammaticis vel librariis propter etymologiam a verbo *γεραίρω* fictas esse judicat Dindorfius,[4] quem A Mommsenius[5] secutus esse videtur. Tum in verbis formulae ipsius praeter formam *γεραρῶ* reperitur in codicibus *γεραίρω*, sed cum sacra facienda demum sint, futuri formam necessariam esse demonstrat Mommsenius. Denique quaerendum est, utra forma, *θεόγνια* an *θεοίνια*, quarum utraque in codicibus legitur, recipienda sit; de his autem nominibus Mommsenius[6] conjecturam protulit, quae mihi maxime placet quamque a Gilberto[7] quoque probari video. Existimat

[1] cf. de diaetetis p. 7.
[2] cf. Fleckeis ann. a. 1871 p. 113.
[3] cf. l. l. p. 24.
[4] cf. Stephani thesaur. vol. 2 p. 582.
[5] cf. Mommsen, heortolog. p. 358 sq.
[6] cf. l. l. p. 327.
[7] cf. Gilbert, de temporibus Bacchanalium atticorum p. 161.

enim vir doctissimus ab initio quidem Bacchanalia, cum agerentur, ne unquam ex hominum animis memoria Bacchi dies natalis discederet, nominata esse θεόγνια; postea autem, cum Bacchus magis magisque deus, cujus tutelae praecipue vinum esset, putaretur, hoc nomen mutatum esse in θεοίνια. Cum autem in optimis codicibus reperiatur vox θεόγνια neque in jurejurando quoque formam mutatam esse verisimile sit, mihi quidem forma θεόγνια recipienda esse videtur. Hac autem voce cum Bacchanalia rustica significari Harpocration nobis tradiderit, contra Ἰοβάκχεια ad quae Bacchanalia pertineant non constat.

Sed ut ad examinandam formulae fidem accedamus, nos nunc quidem de hac re nihil certi proferre posse confitendum est. Cum enim jusjurandum nullo alio loco laudetur, id modo quaeri potest, num haec, quae in tradita formula insunt, illis temporibus re vera jurata esse putandum sit; neque mihi in formula quidquam inesse videtur, quod nobis scrupulum inicere possit. Fortasse autem obiciat quispiam complura in formula desiderari, ut nomina deorum invocatorum vel affirmationem civitatis; quas partes ab oratore omissas esse non putaverim, cum his ipsis sanctitas et dignitas cerimoniae quasi in conspectu animorum poneretur, id quod orator sibi proposuerat; at fortasse ipsae erant tales vel conjunctae erant cum talibus, quas enuntiare non licebat. Diserte enim orator et ante formulam et post eam laudatam dicit non omnia hujus cultus instituta enuntiare licere.

Quod autem Mommsenius gravibus causis non allatis formulam genuinam esse negat, mihi quidem non persuasit; nam quamquam in dijudicanda hac formula omnibus auxiliis destituti sumus, tamen id unum fortasse ad confirmandam formulae fidem afferre possimus, quod neque sermone neque argumento ex oratione illam compositam esse probabile est. Unde autem falsarium, qui posterioribus demum temporibus formulam composuisse putatur, sibi notitiam formae et argumenti hujus jurisjurandi parasse putemus?

Ut igitur hujus disputationis summam efficiam, in orationibus, de quibus quaesivi, et subditiciae et genuinae formulae exstare videntur. Quare maxime opus est de unius cujusque litis instrumenti auctoritate separatim disserere, ac ne tum quidem in universum judicare licet, si quis tanta prudentia utatur, quanta Fr. Blassius[1] usus est, qui orationis adversus Neaeram formulas omnes, cum tenues sint et ex oratoris verbis facile componi potuerint, suspectas esse, eas autem, quae in oratione adversus Stephanum posteriore exstant, nullam omnino offensionem praebere censet.

[1] cf. l. l. p. 476 et 409.

Postquam jam dissertatio mea typis exscripta est, in Mus. Rhen. vol. 40 p. 377 sq. Kirchneri de testimoniorum formulis in orationem adversus Neaeram insertis commentatio edita est. Qua in quaestione vir doctissimus plurimis locis idem censuit, quod mihi quoque placuit, atque etiam complura in testimoniis commemorata nomina aliis quoque locis exstare demonstravit et duas conjecturas protueit, quarum altera [1] mihi probabilis videtur. Nonnullis autem locis, ut in examinandis testimoniis, de quibus p. 39, 41, 45, 49 disputavi, vir doctissimus eo studio impulsus, ut formulas omnes ad unam genuinas demonstraret, offensiones ab adversariis prolatas minimi vel nullius omnino momenti esse judicavit, quam tamen sententiam non magis comprobare possum quam quaestionem de Philostrato,[2] Dionysii filio, institutam.

[1] Proposuit Kirchnerus in § 105 (cf. hujus disput. p. 51) pro voce γεγενημένην scribendum esse γεγενημένων.

[2] Philostrato ut Lysiae amico minus quadraginta annos tribuere non licere existimo. Huic sententiae non obstat, quod Philostratus ab oratore ἤϊθεος significatur, nam hac voce hoc loco non adolescentia, sed caelibatus significari mihi quidem videtur.

Vita.

Natus sum Otto Staeker Quedlinburgensis die VIII. mensis Junii a. h. s. LXIII. Parentes veneror superstites patrem Guilelmum, matrem Minnam e gente Stein. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus patriae meae gymnasium per novem annos frequentavi. Vere a. h. s. LXXXI. maturitatis testimonio instructus, ut studiis philologicis et theodiscis operam darem, apud facultatem philosophicam universitatis Lipsiensis nomen professus sum. Insequentis anni vere Berolinum transmigravi, et cum ibi bis sex menses moratus essem, accessi, ut studia mea persequerer et absolverem, ad Almam Matrem Halensem. Atque seminarii philologorum Halensis per duo semestria sodalis fui ordinarius, cum jam antea proseminarii Lipsiensis exercitationibus interfuissem. Ut in societatem philologicam reciperer Keilii benignitate mihi contigit; praeterea Zacher ad seminarium theodiscum me admisit, ut exercitationibus suis interessem philosophicis Haym, theodiscis Gering benigne concesserunt. Septies autem sex mensibus scholas audivi virorum illustrissimorum, prff. doctt. Biedermanni, Georgii Curtius, Heinzii, Hirzelii, Lipsii, Masii, Ribbeckii, Seydelii, Zarnckii Lipsiensium; Dielsii, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Roberti, Roedigeri, Schereri, Vahleni Berolinensium; Dittenbergeri, Duemmleri, Geringii, Haymii, Hilleri, Keilii, Zacheri Halensium.

His viris omnibus, ut egregia sunt eorum de me merita, gratiam habeo, praecipuam vero iis, qui in seminario aut privatis exercitationibus vel consiliis studia mea foverunt atque adjuverunt.

Typis expressit
Carolus Voges Quedlinburgensis.